
V
B
J
C

Charly

FACULTAS
R. Patris Vice-Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

L*Ibellus, qui inscribitur* Nova Omnia, *à P. Joanne Kwiatkiewicz Societatis nostræ compositus, & ab aliquot Patribus ejusdem Societatis recognitus, ut in lucem edatur; facultate mihi ab Adm. Reverendo Patre Carolo de Noyelle Præposito Generali Societatis prædictæ concessâ, permitto; si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Posnaniæ 17. Septemb. 1682.*

THOMAS MŁODZIANOWSKI.

LICENTIA LOCI ORDINARII.

IMPRIMATUR.

Joannes Josephus Martini Præpositus Decanus Mevensis, Surrogatus Gedanensis & Pomeraniæ.



RELIGIOSISSIMIS ET ADMODUM REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBUS

Sacri Ord. Cisterciensis in Monasterio OLIVENSI

Minimus Auctor.

ALiis Aulæ Procerum patent, dum eorum opera in publicum eunt: mihi potior Aulæ gratiis est Religiosissimi Cœtûs Vestri Veneratio. Non solùm jugis Montium colla submittimus, est, quod etiam in abdito, aut CLARA-VALLE colas. Imò si cultus per ingenii monimenta impenditur, meliùs hoc mune-

munere doctos adores. Si pium quidlibet proferat; Sacra id amant adyta; & nullibi Sacræ lucubrationi meliùs, quàm inter Sanctissimos Cœtus. An ergò alibi errarem, Lectorum vel Mecænatum sedulus quæsitor; Cùm Vos primi ante omnes occurritis? Nec enim auferunt mihi mentem negotia, quin eam beneficii vestri temeret oblivio. Memini binis jam meis Opusculis lucem ab Olivensi prælo impertitã, quidni, ne ingratus cogar vivere, id gratiæ hoc saltem exili Xenio reponam? Sed cum primis Vestri Sanctitatem Cœnobii vene-

veneror: * quod in Apoſtolatu Beati CHRISTIANI virtute & miraculis clari inſigne reſplendet, nec non à palmis & coronis tot Martyrum, Sancti nempe CASIMIRI Abbatis & SOCIORUM ejus Fratrum, non tam Olivetum, quàm Lauretum jure appellandum. Ipſa denique eidem Sacro Loco gloria Confeſſoris in Beato ALBERTO Abbate minimè deeſt, ut taceam pios DITHARDOS, humiles TREBNICIOS Abbates, alioſq; Viros virtutis. Et hi prænobiles fructus intra amœna Olivæ quæ providens

quoq;

** Hæc & ſequentia ex authenticis S. Ordinis Ciſtercienſis, & Olivenſis Coenobii Monimentis deſumpta ſunt.*

quoque Proximi commodis expandit ramos gratiarum in Conversionem Gentium ab errore Paganismi ad veritatem Catholicæ fidei, Masovia, Culmigeria, Lubavia, aliæq; vicinæ Regiones agnitionem Christi, CHRISTIANO debent Religioso Olivensi: quin & Pomerania in suis Ducib⁹ Conversionem ad DEum verum Asceterio Colbacensi Matri Olivæ defert: Hæc Cœlo in Oliva paratæ deliciæ. Verùm & Terra minimè expers fructuum Olivæ. Prussia namque pulchra, dives, fortis operâ Crucigerorum. Ast illos Olivensis B. CHRISTIANUS

NUS, multis ſuâ prædicatione perſvaſis Principibus, & Cruce ſignatis cum magnis exercitûs copiis primus induxit Pruſſiæ in Oras, cõtra gentem Barbaram defendendæ novellæ Fidei Chriſtianæ gratiâ. Quod verò intra quinq; centurias Annorum OLIVA liva veſtra ſexies ut alter Phœnix è ſuis cineribus & ruderibus pulchrior revixerit, ut in tanta antiquitate *Nova floreant omnia*, & in muris, & in moribus *Renovatio Spiritûs*. Igitur jure optimo hoc Opuſculum meum *Nova omnia* Veſtro Nomini ac de Eccleſia, de Orbe meritisſimo Ordini me-

mor beneficiorum ex animi ſententia conſecro & addico, non ſine *Novo* omnigenæ fauſtitatis voto in univerſum hunc S. Ordinem cœlitùs manaturæ. Ita vovet

Minimus Auctor Opuſculi.

J. K. Soc. JEſu.

Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui secundùm DEUM creatus est in Justitia & Sanctitate.

S. Chrysostomus.

Renovari est, inquit, quando quod inveteravit, aliud ex alio factum renovatur. Itaque eadem quidem manet substantia & idem subjectum, immutatio verò fit circa accidens. Quemadmodum unum quidem & idem est corpus, transmutatio verò fit juxta id quod accidit: ita & hic. Quomodo fit autem *Renovatio? In spiritu inquit mentis vestræ.* Itaque si veterem actum quisquam habuerit, nihil proficiet. Actus enim veteres non feret spiritus. *Spiritu* inquit, *mentis vestræ*, hoc est, spiritu qui est in mente vestra.

Hæc ille.

S. Augu-

SAnè ista *Renovatio*, inquit, non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in Baptismo *Renovatio* remissione omnium peccatorum: neque enim vel unum quantulumcunque remanet quod non remittatur: sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate quæ febribus facta est, revalescere: itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod factum est, secunda curatione sanare: Ita prima curatio est causam removere langvoris, quod per omnium indulgentiam fit peccatorum: secunda, ipsum sanare langvorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis. &c.

DIES PRIMUS

Tridui

RENOVATIONIS.



A

I
Fu



perſ
res vi
ti eſt
mina
unt è
temp
tio ta



§. I.

Aliquot Præambula Renovationi Spiritûs congrua

PRÆAMBULUM I.

Fundamenta Spiritûs ac Virtutis non in arena fiant, sed supra petram.

I.

QUilibet ædificat aut Jerusalem, aut Babylonem. Qui Jerusalem ædificat, id est bono virtutis cæpit insistere; aut in petra aut in arena jacit fundamenta: & inde est quòd virtus quorundam stabilis perseveret; quorundam citò corruat. Hinc plures virtutum ruinas vidimus, quàm Urbium: tanti est in arena molem fixisse! Imber, venti, & flumina in eam pænè continuò agunt, sensimq; subruunt è CHRISTI oraculo. Nec vî fluminum aut tempestatum opus est; una levis occasio, vel tentatio talem virtutem dejicit.

2. Lucifero insultatur: Cecidisti! & tamen manè oriebaris. Quid prodest tam illustris ortus, ubi tam turpis subitò occasus? Gratiæ supernaturales in te præ aliis: omnis decor & excellentia præ aliis, amor supernaturalis in DEUM, quo in primo instanti (è nonnullorum Theologorum sententia) primam gratiam meruisti, præ aliis; sed hæc omnia manè tantum! nec in meridiem aut vesperam duravit tantus fulgor! Excidisti è tam præcelso virtutis gradu: cecidisti! Quare autem? Angelis tribui solet inflexibilitas in semel arreptis: caruit hâc mobile Luciferi ingenium; hinc ejus ruina. Luciferiana virtus est, tantùm manè oriri. Primæ virtutis faces nemini blandiantur, nisi diem ferant, & ad occasum vitæ perducantur. Sed id non facilè speres, ubi flexibilis & mobilis virtus, qualis est moles in arena, brevi huic cum probro occinetur: Cecidisti! O quisquis es; alienâ sape ruinâ.

3. Arena vocatur etiam locus prælii, sumptâ appellatione à theatris, ubi ludicræ pugnæ in theatro arena consperso institutæ. Ludicra ergo, & vanis theatri plausibus idonea, dabantur in arena. Vereor, ne scenica quorundam agendi ratio, dum servitium DEI aggreditur, hujusmodi arenam mentiatur: etsi DEO non illudatur unquam impunè; ut etiam in illa theatrica arena plurimi occumbebant. Adeò fatalis est ubiq; arena; ne dum virtuti theatricæ, nec sat solidæ!

4. Ut homo, minor mundus dicitur respectu totius universi, sic etiam idem Ecclesia minor dici

potest,

poteſt, reſpectu totius Eccleſiæ. Unusquisq; enim noſtrûm (teſte Divo Paulo) creſcit in Templum ſanctum in Domino. Dicat ergo ſtructor hujus Eccleſiæ minoris idem quod de univerſali Eccleſia Chriſtus: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et certè univerſalis Eccleſia inter tot perſecutiones, tot Hæreſum & Orci cuneos, ſtat immota, nec deficit, aut unquam deficiet. O ſi minores Eccleſiæ ſint tam felices! at prô dolor! minores inſultus contra illam facilè prævalent, & occulta vel aperta Orci rabies triumphat! Non prævalet contra Eccleſiam, quæ fundata eſt ſupra Petram. Sic in Petra virtutem ſolides; ſi nolis, ne deficiat. Quaſi in Petra eſt omnis virtus ſolida, quæ nomen hoc tum ab excellentia actuum & objecti, tum à conſtantia deducit. Ut cælos ſolidos opponimus fluidis, ſeu facilè permeabilibus; Sic virtutem in Petra fundatam, fundatæ in arenâ, quòd hæc cedat facilè occurrentibus in oppoſita virtuti, & obviis vitiorum aſſultibus viam præbeat. Nolis ſic eſſe fluidus, ſi in Petra virtutem ſolidâſti.

5. Quæris quæ virtus & ſpiritus in arena, non in Petra? vel, unde id proveniat? breviter accipe. Id evenit cùm vel non ſat firma virtutis initia quis jecit in primordiis vitæ ſanctioris; vel non ſat firmis, nec convincentibus intellectum & voluntatem rationibus adductus, aliqua ſanctè primò aggreditur: vel cùm non ſatis in animo radicatum eſt peccati cujusvis odium; nec ſat perſpecta tum labes ac defor-

mitas mali moralis, nec bonum Rationis, nec DEI dignitas; adeoq; cùm tenuis in animo impressa est DEI cognitio, æstimatio, appretiatio, timor; vel cum fides de futuris quoad æterna est infirmior: vel cùm se non præmunit tum in pericula & scandala & incidentia; tum in ea, in quibus suam infirmitatem & inconstantiam aut compertam habet, aut aliunde timet: vel cùm se leviculis actibus in speciem bonis vel ad modica utilibus impendit, nec solidiora magnarum virtutum exercitia, cum minimorum cura prosequitur: vel cùm se temerè periculis, periculosis congressibus, laxiorum commercio, & iis quæ facilè virtutem subruunt, objicit; aut suis viribus fidit, quæ infirmum sempèr sunt virtutis fundamentum: vel cùm ea, quæ bene cæpit, non usu & industriâ promovet, oratione firmat, iisque modis quibus primò inducta sunt, stabilit. Sed maximè duo hîc virtutisConstantiam (quod est illam in Petra fundari, non in arena) labefactant. Primò Remissus Divinorum amor; nam conjunctio cum DEO arctior & familiarior, cælestes vires sociat in virtutis pericula. Secundò Prava quædam principia & practica axiomata, quibus imperfecti nituntur, & illis mens post bona initia imbuitur, de quibus mox agemus. Qui ergo non in arena molem virtutis ædificas, vide jam, quos vites scopulos, vel lapides offensionis.

6. Quodsi aliquis firma jecit fundamenta, quæ labefieri non sinit, nec sentit; ne ex Petra in arenam defluat; unâ illi constantiâ opus est, ad quam animum

mum firmet & confirmari cælitus petat; Sit imitator Divinæ illius denominationis: Qui eſt, Ego ſum qui ſum: Parum enim eſt probum fuiſſe vel fore: eſſe ſemper opus eſt. Dicat ergo & ille: Fiat firmamentum in medio aquarum, & occaſionum, inter quas facilè defluit virtus. Dabit hoc Firmamentum Meditatio, Oratio, Divinorum ac æternorum amor, oculus in æterna intentus, fuga occaſionum, à quibus ſibi meritò virtus timeat: præmunitus in adverſa animus ratione & oratione: humilitas nil de ſe præſumens, propoſita ob oculos idea Conſtantiæ alienæ vel inter martyria: obligatio ſtatûs & gratiarum cæleſtium, quæ nos arctius DEO obſtringunt: poſtulatio cæleſtis auxilii: repetita propoſita, & ſuî frequens diſcusſio pœnalis, ſi virtus defecerit. O ſi fiat firmamentum hujusmodi! omnino tunc virtus & ſpiritus non in arena conſiſteret.

PRÆAMBULUM II.

Prima Principia ſeu Axiomata quædam malè Practica, evertenda veris tutisq́, à Renovaturo Spiritum.

PRimò. Sicut aliæ Scientiæ, ita Scientia Sanctorum habet ſua quædam principia, quibus nititur regiturq́;. Sed cùm Scientiæ habeant principia evidentia & per ſe nota, adeoq́; Propoſitiones æter-

næ veritatis; in Schola virtutis aſſumuntur ſæpe Principia, quæ fallunt & turpiter illudunt. Ex falſis enim & apparentibus tantùm in ſpeciem Principiis, quid niſi apparens veritas, at certa etſi latens falſitas inferatur? Etiam hìc Concluſio ſequitur debiliorem partem. Quare primus eſt labor, reducere ſeſe ad Principia vera omnino, non quæ tantùm videantur vera, & certiùs illudant ei, qui illis regitur.

2. Quidam Filii tenebrarum dicuntur. Si filii; ergo dicunt relationem ad tenebras velut ad Parentes, quæ illos gignunt; ut filii lucis ad Patrem luminum, qui eſt lux vera, ſuam referunt originem. Nempe ſpiritus quorundam ducit originem à tenebris; in iis naſcitur, in iis adoleſcit & progreditur; atque ut lux inter alios effectus habet, quòd viam dirigat; ſic illorum tenebræ (ut filii à Parentibus reguntur) ſunt directrices. Hæc verò ſunt Principia, quibus reguntur, in quibus etſi lux ſit apparens, ſed de illa præcavet veritas, dum monet: Vide ne lumen, quod in te eſt, ſint tenebræ. Emerge tandem ex his tenebris, & eſto deinceps filius lucis.

3. Dicebat ille ſpiritus nequam: Ero in ore Prophetarũ ſpiritus mendax, & permiſſum id ei, fuitq́;, quod promiſit, in ore Pſeudoprophetarum. Hucusque viget hic ſpiritus mendax, qui docet in ſpeciem vera, & decipit; enuntiat velut Prophetarum oracula; & ſunt fucata mendacia. Ponit tenebras lucem, & lucem tenebras: ſub eutrapeliæ ac urbanitatis nomine ſcurrilitatem mentitur; ſub

magnani-

magnanimitatis ſpecie arrogantiam: ſpiritum vindictæ vel invidiæ, ſub zelo juſtitiæ, aliaque mille aliter disſimulat & velut juſtitias concinnat, quæ ſunt iniquitas. Alibi te falli non ſinis; à ſpiritu mendace, & falſis Principiis illudente falli patiaris?

4. Aliqua hujusmodi Principia mendacis Spiritûs juvat adducere, ut devites. Refero hæc & refello.

Primum. Naturæ ductum ſequi expedit, inquis. Imò perſæpe violentia quædam naturæ inferenda, ſi ad violentos pertines, qui regnum cæli rapiunt. Deinde aliud dicis facisque; aliud veritas incarnata docet monens: Qui vult venire, poſt me, abneget ſemet ipſum: Qui amat animam ſuam, perdet eam: Qui odit animam ſuam, in vitam æternam cuſtodit eam. An hìc ductum naturæ ſequi jubet? Deinde aliæ ſunt leges virtutis, aliæ leges naturæ; & ſi naturæ ductu quisq; regatur, cùm ſit quædam in omnibus naturæ quoad inclinationes diverſitas, chaos esſet & confuſio quævis communitas. Denique etiam bruta ſic agunt, quò natura inclinat.

Secundum. Vivendum ut alii, & plures quidem. Audio. Sed cur ut alii imperfectiores? cur non ut pauci electi? Pluralitas concludit in ſuffragiorum libertate licita; non morum illicita. Deinde an ii plures tibi ſunt vivendi regula; & non potius oppoſitæ illis leges ſanctæ communitatis? Faciant alii quod libet, tu tantùm quod licet aut expedit. Hoc Principium Radbodum Friſonum Principem damnavit.

Tertium. Simile priori. Aliis id licet, aut eſt citra notam & impune. Fateor aliqua licere quibusdam, ſed videris, utrum & tibi: in pleriſq; enim fallit hæc paritas. Deinde nec aliis omnia promiſcuè licent, quæ agunt; ut per ſe patet. Impunitas verò iniquum eſt prævaricandi calcar. Malè quis furta audeat, quòd videat quandoque plagiarios ſuſpendium evadere.

Quartum. Sufficit vivere citra ſcandalum. Sic vivere nôrunt & hypocritæ. Sic vivunt etiam ſepulchra dealbata. Deinde jubemur à Divo Paulo providere bona coram DEO & hominibus. Denique non ſat id conſcientiæ.

Quintum. Sat mihi mediocris virtus. Sat non peccare me graviter, dum hoc vel illud ago: Sat eſt ſtatus gratiæ. Reſp. ad Primum. Alibi vis excellere & eſſe longè ſupra mediocritatē; non item in ſtadio virtutis? At quid ſi ne mediocris ſit virtus, quam ſectaris? Certè non eſt quæ non proficit; eo ipſo enim deficit, quod non progredi hîc ſit regredi. Ad Secundum. Craſſæ id conſcientiæ eſt, tantùm peccatum grave timere, & omnia perperam agere, modò illud non attingat; & tamen hic diſponit ſe ad gravia per levium contemptum. Ad Tertium ajo. Status gratiæ ſemper eſt neceſſarius etiam imperfectis: & plus requirit ſtatus perfectionis acquirendæ.

Sextum. Serviendum Domino in lætitia. At non in licentia: Gaudete ſemper; ſed in Domino. Inſolens lætitia, quæ cælum, cætum ſacrum, & ipſam

ſæpe

ſæpe conſcientiam contriſtat. Multis illudit eutrapeliæ ſpecies, diciqúe hîc non raró poteſt: Riſum reputavi errorem; & gaudio dixi; Quid fruſtra deciperis? Mitto alia Principia quæ tamen ex oppoſitis ſanctioribus principiis per contrarium colligi poſſunt. His tu Principiis obſta.

5. De quodam ait Scriptura: Dedit illi Dominus ſcientiam Sanctorum. Quod ſi ſcientia eſt habitus Concluſionum, quæ inferuntur ex præmiſſis & quibusdam Principiis; hæc etiam juvat nôſſe, ut ad Scientiam Sanctorum pertingas. Breviter illa colligo. *Primum* eſt S. Pauli: Non acquievi Carni & Sangvini: nempe agendum non quò affectio naturalis & ſenſus, ſed quò recta ratio ducit; Trahit ſua quemque voluptas; ſed id brutis etiam commune; niſi ratio amans recti nos ab illis diſcriminet. *Secundum.* Rationes etiam ſcrutare, ne illudant; eò quòd in quibusdam ſit, ut in iride color; Sic in iis veritas apparens, hoc eſt probare ſpiritus, an ex DEO ſint. Nihil ergo temerè, nihil præcipitanter agendum; ex fine & mediis rectè agenda conſules. Quod ſi Oratio præcedat; tantò amplior lux cælitus aſpirabit, ne erres. *Tertium.* Bonum rationis, bonum virtutis & communitatis præfer delectabili & privato. *Quartum.* Ubique ratio ſtatûs, ubiq; decori ratio habenda. *Quintum.* Tuta, quæ obedientiæ conſona. *Sextum.* Non quid ab aliis promiſcuè fieri vides, ſed quod fieri debet, proſequere. *Septimum.* Nihil ſolidæ virtutis à te ſperes, niſi tibi familiaris ſit frequens, imò con-

tinua tui victoria. *Octavum.* Non ſat firma ſanctitas operum, quæ DEO non adhæret. Divinorum ergo ſtudium amplectendum; & quæ DEI ſunt, fiant dignè DEO. Pietas ubique virtutis fundamentum. *Nonum.* Nil clam, quod Superioribus expedit eſſe palam. Denique, ut alia omittam, Paci conſcientiæ & domeſticæ ſemper conſule; ne ſperne modica: ubique age, ut in conſpectu DEI, ut in agone, ut jam jam ad DEI tribunal rapiendus, juxta ideam perfectiorum juxta illud: Æmulamini Chariſmata meliora.

6. Habet eadem Sanctorum Scientia & paradoxa Principia. Mitto notum ex Chryſoſtomo: Nemo læditur, niſi à ſeipſo; item Ægidii Abbatis: Claude oculos, ut bene videas; aures, ut audias: bene vigila, ut meliùs quieſcas; Tum illa ſanctarum Tereſſiæ & Magdalenæ Pazziæ: Aut pati aut mori: Pati non mori. Quid illa Pauli? Virtus in infirmitate perficitur? cùm infirmor, tunc potens ſum? Et illa Auguſtini & Bernardi: Qui amat, non laborat: Amor nomen difficultatis erubeſcit; Brevis hora, brevis mora; & ſi quid plus, præ amore non ſentio. Nempe ubi DEO, nihil nimium; alibi, ne quid nimis. Et illud conformiter ad Evangelium: Cibus eſt facere voluntatem alienam, fames ſuam. Et illud: Labor reficit, otium mentem fatigat. Solus amor reddit DEO æquivalens. Perdit quod vivit, qui te DEUM non diligit &c. Sunt & quædam vitioſa in facto paradoxa, ut dum aliquis ſervire vult DEO, ſimulq; ſuis cupiditatibus: quærere DEUM,

&

& seipsum; hilarescit inter tumultus conscientiæ, dum alget inter ignes, seu tot incentiva sacri fervoris amorisque; virtutem profitetur, & horret: amorem DEI protestatur, quem in horas toties lacessit ac offendit &c. Priora Paradoxa miramur, cùm audimus; laude prosequimur, cùm eadem impleri cernimus: at postrema is tantùm fieri posse credat, qui amorem virtutis cum virtutis odio putat posse consistere.

PRÆAMBULUM III.

Tribunal Semestre seipso Judice peragendum.

I.

TEmpus est, ut judicium incipiat à Domo DEI. Tu es hæc Domus, quam DEUS inhabitat, & inhabitare jugiter cupit. Porrò in hoc judicio tu Reus, tu judex, tu testis, tu vindex. Rarum tale tribunal; & quo ritè peracto, aliud vix timendum. Tu ergo forum age; at esto justus Judex: & quia regnant scelera, ubi sunt impunita, pœnam ipse decerne; eamque exequi, sacram vindictam de teipso jube.

2. Et quamvis materia hujus Judicii possit redigi ad duo illa interrogatoria: Quid tibi fecit DEUS, hoc exacto semestri spatio? Quid fecisti tu vicissim boni malivè? tamen meliùs ad hæc capita redigetur: primò ut accusatores seu actores con-

tra te reum audias. Deinde ipſe diſtrictiùs ſingula diſcutias huic Judicio obnoxia; deniqùe ut modum huic Tribunali præſcribas.

3. Quoad primum; Præter Accuſatorem Fratrum, ut S. Joannes vocat dæmonem plurimi ſunt contra te Actores. Quærit Chryſologus, quis villicum iniquitatis diffamârit, de quo Evangelium: Et hic diffamatus eſt? Reſpondet: Clamabat terra, clamabant inferi, clamabat cælum & omnis creatura. Te verò omnia ceu reum proclamant; ſed tu ipſe maximè.

Primus Accuſator tuî eſt ſtatus tuus, ſeu Religioſus, ſeu Sacerdotalis. Dicebat Salvianus: Per nomen rei ſumus; ſi nimirum nomen ſanctum ſit, ſed opera maligna. Status tuus pulchro te nomine cohoneſtat; ſed ſi vita non ſat concordat cum nomine; per nomen factus es reus. Nimirum & à te requiritur, quod à CHRISTO Domino, de quo Paulus: Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Sic quisque debet eſſe tantò melior, quantò differentius nomen præ aliis gerit! vide ergo, in quantis te accuſet nomen Religioſi vel Sacerdotis; illud quoad vota & regulas quoad rationem ſtatûs; quoad perfectionem ejusque media, quoad officium tuum, &c.&c. hoc verò quoad Sacrificia & Sacramenta, quoad puritatem & ardorem zeli, quoad virtutes Sacerdotio dignas, &c. Confundere & ini gratiam cum hoc Actore, & ſingulis ne contra te agant.

Secundus Accuſator eſt Tempus, nam rei tam pretioſæ

pretiosæ abusus judiciale forum jure exigit. Prodigi multis modis in Jure notantur plectunturque; at quæ nocentior, quàm Prodigalitas Temporis? Certè DEUS jacturam temporis culpabilem gravi illâ afficit pœnâ: Tempus non erit amplius. Et tamen tot sunt contra quos dicatur: Defecerunt in vanitate dies eorum; nec, dum tempus habent, operantur bonum. Vide ergo quomodo contra te instet Tempus: quot horas, dies, menses vacuos meritis & lucris animæ animarumque transegeris: quantum temporis DEO & Divinis, quantum aliis rebus dederis. De tuo tempore dici debuit illud: Tempus tuum, tempus amantium! an non potius illud fuit tempus odientium disciplinam, & ea quæ spiritûs sunt! vel certè (ut noster Poëta, inepta amantem & amentem dicit eundem) an non tempus amentium vitam impleverit?

Tertius Accusator, sunt beneficia DEI hactenus accepta in animo & corpore. Beneficia dum ingerit DEUS, auget actores contra ingratum vel iis abutentem. Hinc illa neotericus appellat DEI minas: nam cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Percurre gratus singula, & qui plus accepisti, plus hîc, ô Judex à te exige. Vide gratias in vacuum acceptas.

Quartus Accusator, sunt bona opera tum omissa, tum peracta. Dic & tu: Justitias judicabo: Scrutabor meam Jerusalem in lucernis. At quales aliquæ tuæ Justitiæ? quàm menstruatæ? quæ illis inest perfectio? quæ non inest imperfectio? quâ

intentio-

intentione? quâ applicatione? quo fervore & perfectiorum industriarum adhibitione; vel èccontra peractæ?

Plures alios accusatores tantùm obiter tibi propalo: *Quintus.* Accusator est Conscientia, contra vel juxta quam agis: & simul recta Ratio. *Sextus.* Potentiæ animæ & corporis earumq; usus abususq;. *Septimus.* Proximi tum domestici, tum externi, vel scandalum passi, vel in bono impediti, aut neglecti. Denique ipsæ quæcunque noxæ potissimi hic Accusatores & vox earum ascendit ad Dominum Sabbaoth. Et quot & in quantis te hi Actores accusant.

4. Quoad secundum etsi ex proximè dictis jam materia hujus tui Tribunalis colligi possit; tamen clariùs ad plura capita reducetur. Multiplex ergo Tribunal de teipso instituces, nimirum Tribunal operum & cogitationum in utramque partem; Seu tam quoad mala, quàm bona: Tribunal Divinorum: Tribunal propriorum & alienorum: Tribunal exteriorum & interiorum; ubi & Tribunal passionum animi: Tribunal intentionum sanctarum & obliquarum: Tribunal graviorum & leviorum excessuum & defectuum: Tribunal votorum & Regularum; Ordinationum & consuetudinum Religionis, Tribunal temporis, teporis & fervoris: Tribunal talentorum & inspirationum: Tribunal externorum & internorum sensuum, & linguæ: potentiarum item trium animæ: Tribunal conversationis domi forisque: Tribunal Sacramentorum: Tribunal virtutum; ubi etiam Tribunal

zeli & charitatis in DEUM ac proximum: Tribunal proprii officii: Tribunal devotionum & mortificationum internarum & externarum; Tribunal defectuum quibusvis actionibus communiũ, vel propriorum. In ſingulis his, ô Judex immorare, diligenter diſcute, & juxta Judicii formam procede, nec non de modo augendi bona, occurrendi malis tecum inquire.

5. Poteſt etiam ſeorſim inſtitui Tribunal proprium cuique; puta aliud proprium Sacerdoti quoad ei propria, ejusq; Regulas: aliud Tribunal proprium Superiori: aliud Scholaſtico vel Fratri: aliud proprium cuiq; muneri vel dignitati. Deſerviet id Tribunal ad pleniorem ſuî notitiam, ad exhomologeſim ſacram, ad compunctionem. Non ſit tamen ſimplex inquiſitio; ſed in amaritudine animæ, ſed ad correctionem, ſed deprecatoria DEI, ſed intenta Satisfactioni & compenſationi offenſæ, & dignos fructus pœnitentiæ imperans: Solicita de remediis malorum.

6. Deniqúe ad id Tribunal mentis referri poteſt ut quisque inquirat, ad quam claſſem Religioſorum ſpectet. Nam alia claſſis eſt purè animalium & ſenſualium; vel rationalium etiam, ſed nimiùm ſuæ rationis & arbitrii tenacium: Alia claſſis merè internorum, qui vel exteriora non curant, prout decorum & modeſtia etiam exteriùs ædificans exigit; vel qui ſunt abſconditi iis, à quibus reguntur. Alia claſſis merè externorum, qui vel externa tantùm curant, interiori homine neglecto; vel qui ef-

fuſi ſunt ad exteriora; vel qui ſunt ſuperficiales tantùm & politici ſpiritûs. Alia claſſis craſſæ, alia teneræ & delicatæ ſanctitatis quoad conſcientiam; in minimis vel tantùm in gravioribus pervigilem: legum minimarum, vel majorum tantùm obſervantiorem. Alia claſſis heroum & victorum ſuî ſtrenuorum, laborioſorum, zeloſorum, vel è contra. Viderit ergo quisque, ad quam claſſem pertineat, vel in bona claſſe quomodo ſe confirmet.

PRÆAMBULUM IV.

Mendacium Vitæ Sanctioris perhorreſcendum ſeſe Renovaturo.

I.

NOn ſolum eſt mendacium in verbis ſed & in factis. Nam ut verbale mendacium eſt, cùm aliter dico, quàm ſentiam, vel eſſe ſciam; ſic facti mendacium eſt, cùm id, quod verè mihi eſſe incumbit, eſſe ſimulo. Sic Jacob mentitùm cenſet veſte & factis Chryſoſtomus, Lyran:, Perer: Cornelius à Lapide, dum ſe Patri omnimodis vult perſuadere primogenitum Eſau. Sic mendacium facti fuit in Spathario Totilæ Regis, ſe pro Rege in purpura Regali apud Divum Benedictum venditante. Sic quosdam in idem facti mendacium prolapſos indicat Chriſtus, quos ſub veſte ovium lupos enuntiat.

2. Etiam in vitæ ſanctioris ſtatu poteſt id mendacium facti contingere, vel ſi fingat quis ibi majorem

rem ſanctitatem, quâ caret; & ſic per hypocriſim venetur gloriolam & opinionem bonam; vel ſi in cætu ſancto non ſatis ſanctè vivens, hoc ipſo putetur contentusque ſit putari probus; & hoc ſecundum appello mendacium vitæ. Ut enim qui lingvâ mentitur, aliter rem proponens verbis, quàm reipsâ ſciat eſſe, fallit alios; ſic qui cultu cætuque probo citra vitæ ſanctimoniam imponit aliis facto mentiri cenſendus, ſcit enim à ſe alios ſic falli, in idque fallaciæ inducit facto.

3. Quod Jephte Dux ſuæ dicebat filiæ ſibi poſt victoriam occurrenti: Decepiſti me, & decepta es, hoc prædictæ vitæ mendaci dicendum eſt: Decipit enim, & decipitur. Decipit velut vitrum triangulare perpolitum, omnia mira luce & coloribus, miris auri, ſmaragdi, lucis, pigmentis imbuens, vel ſi limum aut morticina intueare; vel ut qui oculos arte magicâ infaſcinat, falſa pro veris obtrudens. Nempe varii ſtatus vitæ habent ſuas differentias: & ut differentia eſt ſecundum Dialecticos id, quo ſpecies ſuperat genus; ita ſtatus ſanctior à vulgari per hoc diſcerni debet, quòd illum ſuperet in bonitate morali, etiam vulgo communi: ſuperet autem, non putetur ſuperare. Nam differentiæ rerum conſtitutivæ, ſunt illis intrinſecæ, non putatitiæ. Quare ſi hæc abſit in vita ſanctiore; decipit, ut color vitri vel iridis apparens pro vero illudit. Sed & decipitur: quia vel putat hæc vita mendax id ſibi ſufficere, quòd in cætu probo proba putetur, vel putat quidem id non ſufficere, nec coram DEO tantopere

profu-

profuturum, ſed tamen nil ultra per animi ſegnitiem & æternorum oblivia curat; at in utroque caſu illam decipi nemo diffitebitur. Decepiſti & decepta es.

4. Cave id mendacii genus, quisquis es, atque ad Phariſaicam hypocriſim id amanda. Vide ne tibi etiam dicat meritò DEUS illud: Dicis quia diligis me; & mendax es: Dicis, quia Servus meus es, & ſic de aliis Sanctorum titulis ac exercitiis; & mendax es. Cave item ne, ut fictio ponit obicem gratiæ Sacramenti; Sic fictio hæc obicem ponat gratiis cæleſtibus in te aliàs effundendis. Cave, ne vel illud grave omnino damnum incurras: *Spiritus Domini effugiet fictum*, vel illa comminatio in te etiam fulmen torqueat: Partem ejus ponet cum hypocritis. En ut hoc mendacium vitæ, non tantùm communitati coram DEO probroſum, & coram hominibus, ſi pateret; ſed tibi etiam gravium damnorum malorumque cauſa! Quid quod illud dictum CHRISTI: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores; aliqui cum Rabano explicant ſic: Non veni vocare falſos juſtos; quaſi hi minus digni ſint vocatione CHRISTI, & redemptione, propter quam venit CHRISTUS, præ aliis Publicanis. Denique dici mendax haud velis, & velis reipſa eſſe? Os quod mentitur occidit animam; & vita mendax eandem ſervabit incolumem? Cave cave tale mendacium.

PRÆ-

PRÆAMBULUM V.

Prodromi Internæ Renovationis.

I.

DEI opus eſt, animi interna ſancta Renovatio. Illius vox eſt; Ecce nova facio omnia: Ecce ego creo novos cælos, & novam terram. In cor tuum eum deſcendiſſe puta, ſi ſpiritu mentis tuæ renovaris, ille excitat, ille illuminat & accendit, ille perficit ſolidatque, ille invitandus, ut renoveris; illi gloria & gratiæ redhibendæ, dum nova in te & ſanctiora omnia.

2. Ut tamen tum ante primum in terras adventum Domini Præcurſore opus fuit, qui parare viam Domino doceret in ſpiritu & virtute Eliæ; tum ante ſecundum, præter Eliam & Enoch, præcurrent ſigna in Sole & Luna, & in mari ſonitus maris, areſcentibus hominibus præ timore; aliaque portenta, ad tubam Angeli mortuis reſurgentibus: Ita ante myſticum adventum Domini in cor renovandum, aliqui debent præire præcurſores. Præcurſor primus ſit timor multiplex; tum DEI vindicis contra teporem, & gratias tot neglectas, DEIQVE cultui & voluntati præhabitam noxiam libertatem; tum timor è conſcientia tot defectuum ortus, nec non obligationum libera transgreſſione.

gressione. *Secundus* Præcursor ad Renovationem sit pudor & confusio, de tepido cultu DEI, de exiguo profectu in Spiritu, & virtutum Statu hoc dignarum inopia. *Tertius* Præcursor sit detestatio peccati, deprecatio DEI offensi, invocatio Divini auxilii ad renovationem animi, cum gustu & DEI majore gloria aggrediendam & perficiendam: *Quart.* sit Præcursor multiplex ad id stimulus, nempe tum appretiatio ac æstimatio DEI, ejusque summa dignitas ac voluntas; obligatio statûs, gratiarum copia, vitæ brevitas, horror æternitatis, exempla Sanctorum, Solatium triumphantis Ecclesiæ ac triumphantis Societatis, ludibrium inferni, præmii magnitudo. Durum est tibi contra tot stimulos calcitrare; Deniq; Præcursor sit, animi præparatio ad ea, quæ DEUS inspiraverit, exequenda: ad promptè & cum applicatione animi faciendam Renovationem: delectus Sanctorum Tutelarium ad id negotium feliciùs adeundum, &c.

3. Hospes gratia excitans & invitans te ad intimam renovationem urbanissimè à te & non sine admiratione Divinæ de te sollicitudinis ac debita gratitudine excipiatur. Præterea ejusdem Gratiæ & Sapientiæ Divinæ vocem audi: Nam Sapientia ædificavit sibi domum: misit eos qui vocarent ad arcem, clamitans: Si quis est parvulus, veniat ad me: & egentibus sensu dixit: Venite &c. Audi & Paulum: Renovamini spiritu mentis vestræ. Audi & Prophetam. Novate vobis Novale, & nolite serere super spinas. Non sis inter eos, de quibus illud: Aure audietis,

dietis, & non intelligetis. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, ut videntes non videant, &c. Non ſis ille deinceps Servus; Quis ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi, ait Dominus.

§. II.

PROBLEMA SACRUM.

Quid expediat in Spiritu, Novitas vitæ an vetuſtas?

Quia pro utraque parte aliquid Salubriter dici poteſt, Problema vocavi; inprimis pro vetuſtate reſpondetur.

DECISIO I.

Pro Vetuſtate.

Vetuſtas quædam in Spiritu laudabilis.

I.

IN quibusdam vetuſtas eſt laudi, & ſenium honori, tantùm fere in iis, quæ diu primum nitorem retinere nequeunt, novitas gratior; Sed ſi par illis poſt ætatum ſpatia inſit decor & gratia, ut primò placuerunt, placebunt ſemper. Sic DEO nil antiquitas dierum decerpit, utpote immutabili ac æterno Bono: Sic & in creatis nil Soli & Lunæ, nil

nil ſtellis è decore ſubtraxit tot ſeculorum mora. Primi etiam fervores, & primitiales affectus anteſtant ſæpe ſuccedentibus; & laudis plurimum retinerent, ſi retinerent perpetuitatem: Quisquis ab eis receſsit, optabile eſt ut eos revocet; adeoq; ut ſit ſicut fuit antiquitus. Equidem vetuſtatis ſanctæ pretium eſt apud DEUM; de quo eſt illud apud Malachiam: Et placebit DEO ſacrificium Juda & Jeruſalem, ſicut anni antiqui, & ſicut dies ſæculi. Quid quòd & Divi Præcurſoris munus fuerit illud: Reducet corda Patrum in filios. En cor primorum Patrum, avorum & atavorum in cultu DEI excellentium revocatur in poſteros, & antiquius præfertur novo filiorum cordi! Pulchra hæc certè Metempſichoſis cordium.

2. Cæleſtia ſidera & Planetæ dicuntur moveri motu duplici, primo & ſecundo. Secundus motus eſt eorum proprius, eſtq; tardior & in quibusdam Planetis irregularis. Primus fit juxta motum primi mobilis, eſtque velocior & regulariſſimus, quem etiam vocant motum raptûs; quòd ſuo motu primum mobile illa circumagat ſecumq; rapiat. Primum quoddam mobile ſunt, primi tuæ Religionis Patres, & primævus eorum fervor, hic tibi normam, hic agendi regulam vivendique præſcribit; hi velut Magiſtri ſæculorum ſibi ſuccedentium; diesque eorum noſtris diebus eructat verbum, & indicat ſcientiam ſanctorum. Juxta illum ergo motum hujus primi mobilis; & juxta Magiſterium antiquiorum annorum agere conſueſce; rapiare primo

illo

illo motu & actu; ſufficit, ſi anni tui, ceu antiquiorum diſcipuli, ſint ſaltem, ſicut Magiſtri eorum. Vetuſtas hæc laudem coram cælo parit. Sic ergo per vetuſta renoveris.

3. Pſaltes Regius dum ait: Sæculum noſtrum in illuminatione vultus tui Domine; per hæc quidem innuit, quòd facta quæcunque ſuæ gentis non ſint abſcondita ob oculis DEI, & ex iis præclariora, conſpectui Divino ſplendidè & gratiſſimè obverſentur; Sed licebit idem de cujusque Ordinis primo ſæculo aſſerere, quòd ſit in illuminatione, quòd ſit illuſtre in conſpectu DEI, ob viros ſingulares & glorioſos, magnos virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, & ob illuſtria eorum facta. Finge ſæcula illa 4. de quibus Poëtæ. Antiquiſſimum fuit ſæculum Aureum, in quo virtutes & omnis boni copia regnabat, exulabant vitia; Senſim deinde auro deterior ſucceſſit ætas, usque ad ferrea ſæcula. Aureum certè primum tuæ Religionis ſæculum, &, ut illud ſtatuæ Nabuchodonoſoris caput aureum; retinet laudem ſæculi à Poëtis tantùm excogitati: atque hoc procul dubio ſæculum eſt in illuminatione vultûs Divini, ſemperque illius aſpectu oblectatur DEUS. Felix Religio, quæ ad primi ſæculi Patres, eorumque morem vitam componit. Pulcherrima hæc & illuminationem vultûs Divini meretur vetuſtas; & inſuper Religionem à ſæculo deteriori & ferreo, vel ne à capite aureo in argillam pedum res deſinant, tuetur.

4. Quin etiam Sponsa cœlestis gloriatur de fru
ctu veteri: Poma nova & vetera, dilecte mi servav
tibi; En ut vetera quædam DEI palato & gustu
grata servantur: etsi placeat illi, ut primæva vir
tus novis accessibus augeatur, ideoque poma no
& vetera nominantur; quibus libenter vescitur h
dilectus ex dilecto. Certè ille matura in esum ama
non ficus præcoquas: acerbi sunt fructus imma
turi: Sapidiora, quæ maturiora. Hinc & DEU
promittit virtuti præmium: Comedetis vetustis
ma veterum. Ergo timor DEI & virtus pridem
te studiosiùs arrepta tecum consenescat: Dic: In
nocentiam quam cœpi tenere non deseram. E
novas adinveniam industrias DEO placendi servien
dique: & veteres Patrum primorum amplectar
quas adhibuerunt in actionibus Religiosis, in inten
tionibus, in modo agendi non vulgari, inter Divin
in omnigenæ mortificationis usu, in exercitiis virtu
tum solidarum; item quales fuêre quoad zelum a
nimarum, quoad votorum perfectionem, quoad di
sciplinæ Religiosæ ac instituti amorem, quoad cæ
lestes industrias suæ alienæque perfectionis promo
vendæ. Hæc nova & vetera dilecto DEO digna
Pulchrum est, si sic novissimi sint, ut primi: pul
chrum, si hic in me sit vetus homo. Quare spirit
primo ac principali confirma cor meum DEUS.

DECI

DECISIO II.

Contra vetuſtatem: ſeu veterem hominem.

I.

POſt Divum Paulum apud quem vetus homo peſſimè audit, nemo eſt, qui contra illum non decidat, ſi illius ingenium perſpexerit. Optimè illum P. Claudius depinxit, cujus hîc verba ſenſumque opportunè referam. Ait ergo ille:

Vetuſtatis noſtræ illa argumenta eſſe poſſunt: Orare ac meditari Divina ſine ſenſu animi & fructu: ægrè ſeſe colligere, & ad cor redire; cogitata, dicta, factaque ſua, ſine propoſito, pudore, emendatione, curſim examinare: in res externas libenter effundi, idque non proximi juvandi gratiâ, ſed tædii vitandi: Solatiola à rebus creatis cupidiùs emendicare; liberiùs obloqui, & aliena dicta, factaque carpere: religionis diſciplinam iniquo animo ferre: in animarum zelo langvere: laboresque earum causâ ſuſcipiendos, qui dulces olim erant, acerbos ducere ægrè, tardè, repugnanter obtemperare; honorificè ab omnibus indulgenterque haberi velle; immunitates, & commoda ſingularia poſtulare: in animum inducere, ſe laborare plus juſto, &c. En veterem hominem ejusque notas! ut has nullus approbet; ita nemo non illum reprobet. Infructuoſa arbor ſuccidi jubetur; & venenatos fructus producens toleretur?

ILLATIO I.

Ergo exspolia te veteri Homine, & Encænia Spiritûs celebra.

I.

JUbemur ab Apostolo exspoliare nos vetere homine. Unde colligitur, quòd etiam vetus homo sit velut indumentum; quo quis operitur. Induit quisque in animum, quidquid vult; hinc de uno dicitur: Induit maledictionem sicut vestimentum: Alteri tribuitur illud: Fortitudo & decor indumentum ejus. Certè per habitus & actus vitiosos induitur vetus homo, ut novus per oppositos. Porrò si vestis deturpat, aut periculo objicit; quis illam ferat? Eja exue veterem hanc lacernam, qui illam induisti. Athletica hic exercetur; at verò athletæ exuti vestibus luctam ineunt; quòd vestitus habeat, unde teneatur, & prosternatur. Clamat ad mysticum hunc luctatorem Gregorius Magnus; Vestimenta abjiciat, ne succumbat:

2. Tunica molesta olim fuit cruciamenti genus, cùm viva hominum corpora adipe illita, aliâq; præpingui materiâ accenderentur, palo per viscera adacto, loco ellychnii de quo Satyricus.

- - - - tæda lucebis in illa,
Quâ stantes ardent, qui fixo gutture fumant!

Molestior est tunica, veteris hominis indumentum, & diutiùs torquet. Molesta est DEO, molesta Religioni,

ligioni, molesta conscientiæ, magisque cruciat in vita & obitu; Siquidem velut infernus est rea conscientia è sententia cujusdam. At quæ rea, si non hæc, quæ veteris hominis indicia proximè descripta gerit, & sæpe illi dicitur: Charitatem primam reliquisti? quidquid sit de secunda, quæ refrixit. Quin ergo te cælumque hâc molestiâ eximas, & tunicâ tam molestâ exutus dicas: Exspoliari me tunicâ meâ, & quomodo induar illa?

2. Insignis amicitiæ signum fuit, quòd Jonathas se vestimentis spoliaverit, ac ea dederit Davidi usque ad baltheum. Si amicus CHRISTI es; & tu exue te hoc amictu, de quo agimus, eumque ad CHRISTI pedes abjice, sit hoc signum tui amoris in illum: Quia diligo; veterẽ hominem exuo, Domine, quem odisti. Quidquid vetustum in moribus & lingua, intus & extra, quod tuos tuorumque oculos offendit; abjicio: volo esse ut Jonathas erga te, ô melior David; volo, ut & illi, qui sternebant vestimenta sua in via, quâ gradiebaris.

4. Solet quæri; An liceat uti veste infidelium Christiano; & an sit aliquando id contra præceptum externum Fidei? Respondetur communiter, quòd, si vestis vel aliud signum sit solius nationis distinctivum; non verò Religionis, liceat uti; secùs, si signum illud sit institutum ad confitendam falsam Religionem & superstitiosam. Atqui vetus homo indumentum est alieni à vero & debito DEI cultu indicium cultûs, aliudque à professione virtutis ac vitæ perfectioris, quàm Religio profitetur. Quam-

diu hâc veste uteris, non dicet tibi CHRISTUS: Euge serve bone & fidelis! Quomodo enim fidelis, qui fidem fallis obstrictam vitæ perfectiori? Ergo & hæ veteris hominis induviæ, cujusdam infidelitatis speciem referunt; uti proinde illis fideli Numinis servo non licet.

5. Encæniare dicitur, qui novam vestem induit. Hæc Encænia tibi in spiritu svadentur: Indue JESUM, ô vestem magnificam & Regalem! Indue arma lucis; fructus autem lucis, teste Paulo est in omni bonitate, & justitia & veritate. O si exspoliatus vetere homine, sic incedas amictus lumine sicut vestimento! ô si insuper induas virtutem ex alto, & fortitudinem animi in opposita virtuti! equidem pulcherrima Spiritus Encænia celebrares!

ILLATIO II.

Crucifigatur vetus homo.

I.

PArum est exspoliari vetere homine; debet hic etiam crucifigi, Crucem illi deberi indicat Doctor Gentium dicens: vetus homo noster crucifixus est. Nimirum in crucem agatur, qui crudeliter desævit & cruciat. Crux ab illo fabricata est CHRISTO, Crux communitatibus, Crux virtuti, Crux conscientiæ. Ferat crucem, quam sic aliis fabricat. Ut licet prævenire tuum interfectorem, injustum, si te aliter tueri nequeas; ita hic expedit. Quodsi in

cruce

cruce tum dolor ingens, tum confuſio ſuſpendiarii, tum impeditus manuum pedumque uſus; par eſt ut iſta perferat vetus Homo. Ad majora hic hominem damnat; ferat hæc minora. Ergo crucifigatur. Juſta hæc illatio.

2. Chriſti Crucem duplici titulo inſignis Habacuc Propheta appellat Quadrigam, & Haſtam fulgurantem; dicit enim: Quadrigæ tuæ ſalvatio: Ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. Nimirum quatuor crucis latera vel quatuor vulnera viventi adhuc Chriſto in Cruce infixa, quibus conſtitit mundi ſalus, Quadrigam exprimunt triumphalem, quæ in cælos evexit naturam Humanam. Unde etiam Divus Thomas Equum Regium crucem vocat. Eadem crux peremit peccatum, & dæmonem confixit. Crux ergo ſalvat, & perimit: eſt velut Quadriga ſalvans, Haſta perimens. Etiam Crux, in quam vetus Homo agitur, dum illum perimit, te ſalvat. Si hâc quadrigâ evehitur, (quam crucis latera & hominis veteris mortificatio, ſecundùm latitudinem, longitudinem, altitudinem & profunditatem ſibi congruam conſiderata adumbrat) ſalva eſt virtus ac profectio tua. Si hæc illum haſta fulgurans perſtringit, viciſti & orco terribilis evaſiſti. Ergo iterum dico: vetus homo Crucifigatur.

3. Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis. En totum, quod crucifigi debet in vetere homine: Caro, vitia, concupiſcentiæ. Motivum grave additur ad tria hæc in crucem agenda; Qui Chriſti ſunt. Non eſt ergo

go Christi, qui hæc non crucifigit. Quare si Christi es, hæc crucifige, & in his veterem hominem: sic Christi eris (non horum trium) possessio, amor, deliciæ: pertinebis ad eos, Qui CHRISTI sunt.

DECISIO III.

Pro novitate vitæ.

Ex dictis patet, quòd in Scriptura malè audiat Vetus Homo, eò quód jubeatur exui, & crucifigi. Sis ergo potiùs novus Homo, nova creatura; quod in primis illustro & suadeo.

PARÆNESIS I.

Esto nova creatura.

I.

DOctor Gentium ad id incitat gravi illa sententia: In CHRISTO JESU, neque circumcisio valet, neque præputium; Sed nova creatura. Ut ergo aliquid valeas in Christo, & coram Christo; Nova Creatura esto, dolendum enim esset, si coram illo nihil valere videaris. Porrò ubi nova Creatura fit; ibi & nova creatio intervenit; vel etiam generatio. Renovatio spiritûs disponit ad rationem novæ creaturæ: nempe dum odium vitæ veteris, vitæ sanctioris novum & efficax studium inducit, nova jam formatur creatura. Age quod in te est, ut in te Renovatio vim formatricem vel creatricem feliciter exerat.

2. Scholæ

2. Scholæ disceptant, utrum aliquid se primò vel saltem secundò possit producere; item an productio creativa possit competere Creaturæ? Quidquid ibi asseratur; certum est quòd tibi præstò adsit gratia, cum qua vel primò te producas: vel secundò talem, qualis nunquam antea coram DEO, & in ejus obsequio fuisti; vel qualis esse per teporem desiisti. Vult eadem gratia Excitans vel cooperans tecum in te efficere novam hanc creaturam; Si fortasse eidem feliciter cooperaris in aliis, quos novas veluti creaturas zelus tuus producit; etiam in te patra id novitatis miraculum. Zelus similis Paulum te efficiet vel Xaverium, Humilitas Franciscum, Pœnitentia Davidem, patientia Jobum, amor in te producet Seraphinum! Sic eris nova Creatura! at divinitatis & Christi imitatio, ex homine te quendam DEUM, vel CHristum efficiet: Sic plus etiam eris, quàm nova creatura!

3. Homo omnis creatura vocatur à S. Gregorio eamque appellationem semper habet. Plus requiritur, ut Homo sit nova Creatura, quàm ut idem sit omnis creatura. Hoc enim naturæ est; illud virtutis & Gratiæ supernaturalis. Ut tamen homo sit nova omnis Creatura; attendat ad primam mundi creationem; ubi de recenter creatis dicitur: Et erant valde bona. En nova & recens Creatura est valde bona! breve hoc illius, sed singulare encomium; Esse bonam, & bonam valde. Sic tua sint omnia deinceps, si ad novæ creaturæ titulum laudemque aspiras. Quidquid ab hinc ages, sit quod in

cælo & terra, imo in minimo Ente producto à DEO notatur, bonum valde. Vide igitur, quid ad hujusmodi laudem, singulis, quæ agis, desit; quid hæc denominatio requirat; & illud rebus tuis imprime: Sic eris nova omnis Creatura.

PARANESIS II.

Esto novus Homo.

I.

UT sis novus homo, veterem destrue; vel certè talem animo ac operibus nitorem exprime, qualem habent nova & recentia. Dicebat S. Ignatius Martyr: Nunc incipio Christi esse Discipulus. Sed sic incipio, ut non desinam unquam. Qui sic incipit, semper est novus Homo: Semper enim nitorem retinet, quem primò habuit, cùm inciperet, adeoque primò fieret novus.

2. Christus dicitur novus & secundus Homo primo Homini Adæ longè oppositus. Nam primus Homo prævaricator: Christus novus homo innocens, segregatus à peccatoribus, similis nobis absq; peccato. Primus homo omnium peremptor, utpote primæ legis, à qua universorum pendebat salus, transgressor; Novus Homo obediens Patri & mundi Salvator. Primus homo pulsus è Paradiso aliis eundem præclusit: novus homo Paradisum nobis restituit, dicitque non uni mortalium: Eris mecum in Paradiso. Etiam tu hactenus vetusto Adæ similis

lis fuisti; esto jam ut novus Homo; Christo tandem
assimilare, & qualis hic novus Homo fuit ad exem-
plum tibi ad calcar omnibus, talis esto. Deniquè
ejus exemplo etiam Salvator complurium esto: Sal-
va verbo; salva exemplo, salva, effusis ad DEUM
orationibus, duc tecum plurimos in Paradisum exul-
tationis; ut idem novus Homo Christus, non solus
in cælos ascendit, sed captivam ducens captivitatem.
Puta nihilominus ô nove Salvator, & tibi dici à sin-
gulis per te salvandis; Salva temetipsum, & nos.

3. Sacris stigmatibus divinitùs decoratus S. Fran-
ciscus Assisius, vocatur à D. Bonaventura novus Ho-
mo. Amor & mortificatio jugis sic immutat, ut
Seraphinus crucifixus Franciscum. O mira vis amo-
ris in JESUM & hunc Crucifixum! Dilige; & in
novum Hominem immutaberis. Adhæc qui stig-
mata Domini JESU & jugem mortificationem in
suo corpore ex amore Salvatoris circumfert, novus
est Homo. Rara, novitas est transformari in Cru-
cifixum!

4. Adhuc novus homo Latinis significat novam
nobilitatem, meritis vel aliter partam. Non est ob-
scurius genus Hominum, quàm vel qui sectantur o-
pera tenebrarum, & quia malè agunt, oderunt lu-
cem; vel illi, quibus DEUS per Prophetiam mina-
tur: Et qui me contemnunt, erunt ignobiles. Au-
get hujus ignobilitatis dedecus, operum ignobilitas,
quoad modum agendi imperfectum, aut qui vulgum
non excedat. Quare omnia hæc, quæ coram DEO
te obscurant, factis contrariis detere & in operum

modo præcellens esto: Sis novus in dictis factisq; juxta Sanctorum morem, novus in cogitationibus, novus in adinventionibus colendi DEUM, & lucrandi animas; novus quoad Intentionis sublimitatem; novus quoad levissimorum etiam defectuum horrorem: Sic fies novus Homo, non unus è plebe. Etenim, ut Ambrosius ait; familiæ hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gloria, splendore virtutis: imò perfecti viri genus, virtutis prosapia est.

PARÆNESIS III.

Novitas vitæ, seu vita multiplex sanctior suadetur.

I.

VOx Renovationis est pœnè eadem, quæ Christi Domini: Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Vel enim te Renovationis tempus vivum reperit; & sic augere vitam animæ intendit; vel non omnino vivum, aut ægrè spirantem; & vitam revocat refovetque. Quid ergo? vitam ames corporis; & nolis vitam spiritûs? illam vis interruptam morbis, propagari diutissime; & animi sospitatem, ô segnis spiritus, nec augeas, nec cures. Quodsi vitâ hâc cares, quâ vivunt, qui DEO vivunt; pudeat te tam diu Formæ cadavereæ! tandem revivisce, & vive.

2. Gratissimè accepit nuntium Regulus ille dicentem: Filius tuus vivit. Gratius habet Religio, & Sanctus Ordinis tui Fundator, si de te illi sensu altiore dicatur: Filius tuus vivit, vitâ utique Sanctorum, vitâ conformi instituto. Juvat ad hoc tibi novæ spiraculum vitæ inspirare.

3. Primò vita sit ordinata. Nempe si hominis vitam vocamus militiam; etiam in hac militia, (quæ summæ cujusdam animæ laus est) sit acies castrorum ordinata. Item quantum encomii est, si quæ Respublica ordinatissima dicatur! Et tu igitur cum hac tuarum rerum anima, talem Rempubl. exprime. Porro vita ordinata in tribus consistet. Inprimis, in observatione Ordinis à tua Comunitate præscripti quoad seriem & modum actionum; ne vita ab hac operum & vitæ regula recedens sit velut irregularis. Deinde consistet in retinendo ordine rerum gerendarum, quem tum res ipsæ exigunt, ac recta ratio, vel charitas; tum quem è proprio lumine sed conformi spiritui Religioso aliquis sibi præscripsit. Denique ad vitam ordinatam refero, inordinationem affectuum compescere, ne in illud supplicium incidas, ab Augustino proclamatum; Jussisti, Domine, & sic est; ut omnis inordinatus animus ipse sibi sit pœna.

Secundò vita sit reflexa. Nimirum Prudentia hæc Sanctorum est, & DEI sapientissimè omnia prævidentis & providentis effigies; qui etiam ideo totus oculus dicitur. Hæc etiam quatuor illorum cælestium Animalium laus est, de quibus tum dici-

tur: unumquodque eorum coram facie sua ambulabat; tum illud: quòd sint plena oculis. Esto & tu sanctorum animalium imitator; esto oculis plenus, quos dabit jugis supra te tuaque reflexio. Sit oculus reflexus supra decorum & obligationem statûs; & super illud: Ad quid venisti. Sit oculus apertus & reflexus ad rationem scandali, & boni exempli: Sit reflexus ad circumstantias, rerum, actuum, officiorum, Personarum, & super congrua tum illis, tum loco & tempori; sit oculus reflexus ad præsentiam DEI omnia introspicientis: sit oculus ad æterna & Cælestia intentus adeoque esto velut Uranoscopus piscis, in vertice capitis oculum in cælos apertum gerens. Eadem vita reflexa & alios plures oculos gerit. Nam jubet adhuc sæpius ad cor redire, & sese introspicere post quamlibet actionem, saltem majorem, imo & quâlibet horâ, quâlibet hebdomadâ, quolibet mense, discutiendo bona & mala; ut sciam quid desit mihi; vel certè quid insit, nec inesse debeat. Eadem vita reflexa præscribit modum reflectendi se ad singula, in quibus versatur actus; & ad modum ac intentionem agendi actionemque sublimandi juxta suas & aliorum industrias; ut etiam, quoad agendum cum potestate sui & libertate animi & quadam in DEUM liberalitate.

Eadem vita reflexa docet agenda præmeditatò aggredi, & prævisis antea præscriptisque sibi prosequendis aut fugiendis in illa exercenda actione; quod

quod eſt documentum ſaluberrimum; & quod ſi quis ſequatur, facti eum vix ullius pœnitebit.

Addo hîc obiter Reflexionis hebdomadariæ, & menſtruæ Praxim. Sex punctis conſtabit I. Recogitatione beneficiorum hoc menſe vel Hebdomadâ perceptorum à DEO, B. V. SS. Angelis & Divis Tutelaribus, atque in vim gratitudinis, ſingulis aliquid pro ſingulis offer, non ſolitarium illud: Agimus tibi gratias. II. Recogitandi mali & boni actus, cum ſuis nævis: expendendum quomodo ſe vota, tres potentiæ animæ, ſenſus corporis & lingva, paſſiones animi, uſus temporis, adminiſtratio tui officii, induſtriæ ſublimandarum actionum habuerint, ubi erit, quod cor contritum agat, non ſine additis & multiplicatis internis actibus, tum deprecativis DEI ac Cælitum, tum compenſativis offenſarum. Ad idem punctum ſpectabit præmunire ſe contra ſimiles in poſterū defectus non tantùm propoſito ex motivis convincentibus & poſtulatione auxilii; ſed etiam adinventis & præſcriptis modis contra eosdem, ut etiam proficuis ad bona animi promovenda præviſis. III. Succedat oblatio bonorum operum præteriti menſis vel hebdomadæ non tantùm tuorum, ſi quæ fuerunt, ſed alienorum per totum orbem, idq; in unione meritorum CHRISTI, B. Virginis, per manus ejusdem, vel S. Angeli. Sed priùs eluantur in ſangvine CHRISTI, & compenſatio negligentiæ in iis admiſſæ, vel omiſſi eorum augmenti aut intenſionis præmittatur. Similis fiet oblatio B. Virgini. IV. Compenſatio offenſarum, quæ per

orbem

orbem eodem menſe vel hebdomadâ factæ, DEO inſtituatur univerſalis, cum intimo doloris ſenſu, & juxta ea quæ in *Face Aſcetica* dicta ſunt ſub titulo: Paradiſus DEI. Similis compenſatio fiat pro damnatis, hoc menſe vel hebdomada. Cùm enim hi & æternùm blaſphematuri ſint DEUM, & ſubtraxerint illi æternitatem amoris, & laudis beatificæ, quâ eum erant in cælis proſecuturi, ſi ſalvi fuiſſent; æquum eſt, ut æternitati actuum illorum ſubtractæ æquivalens per ſanctos affectus reddas loco illorum infelicium. E contra gaudium concipe, & gratulationem de animabus purgatorii, eo menſe vel hebdomade à quocunque liberatis; quòd aucti ſint; qui amore beatifico in DEUM ferri cœperunt; ſimulque recenter Beatis, primam aliquam tuam neceſſitatem commenda. V. Fiat oblatio ſequentis hebdomadæ vel menſis, & intentio generalis tum ad DEUM, tum ad B. Virginem & Sanctos; ad quos etiam actus ſuperiores proportionaliter dirigendi. VI. Addenda poſtulatio & mendicatio gratiarum actualium efficacium ad ritè decurrendam ſequentem hebdomadem; vel menſem; & mendicatio in cælo inſtituenda à B. Virgine, aliiſque Cælitibus, quorum etiam aliqui ad Patrocinium ſequentis menſis deligantur. Tria hìc obſerva. Primò: eoſdem ſex actus modò propoſitos etiam pro aliis hominibus in hac vita degentibus proportionatè elicies. Secundò. Etiam ultimo die Anni ſimilem modum reflexionis in ſex puncta digeſtæ obſervabis. Tertiò In fine reflexionis hujus Materia &

profectus

profectus examinis particularis expendatur. Hactenus de vita reflexa, de qua etiam in *Face Ascetica* pag. 292. Tertiò Vita sit Exemplaris. Si aspiras ad Doctorum laureolam in cælo, doce alios Scientiam salutis, si non verbo, saltem exemplo; qui modus docendi est efficacior, & tibi gemini causa meriti, tui & alieni. Imò juxta Divi Prosperi sententiam: Non alia sacerdotis debet esse doctrina, quàm vita. Ad vitam exemplarem duo spectant. Primum, ne aliqua fiant mali exempli, vel scandalosa in dictis & factis. Secundum ut ea fiant ex quibus afflatur bonus odor Christi, omnia è decoro, omnia ad illam limam triplicem Divi Bernardi revocata. An liceat, an deceat, an expediat; omnia consona statui, Personæ, virtuti, bono nomini Religionis; deniq́ue talia quæ imitari videntes & deceat & non pigeat.

Quartò. Vita sit mortua. Etiam viventibus in terra fidelibus Paulus dicit: Mortui estis; & vita vestra est abscondita in Christo. Certè vita spiritûs mortificat vitam sensûs; Imò est privatio vitæ, quâ vivitur mundo, amori proprio & sensuali, carni & sangvini, propriæ voluntati & judicio. His enim mori, vita spiritûs est, melior super vitas, Attamen pauci sic in Domino moriuntur. Tu si sic morieris, vives.

Quintò. Vita sit legitimè occupata; non otiosa: nec in illam crysim Romani Sapientis impingat: Magna pars vitæ plerisq́ue effluit nihil agentibus; maxima, aliud agentibus; id est, aliud quàm expe-

diret. Deinde ſit occupata in actionibus, meritoriis vitæ æternæ, conducentibus gloriæ Divinæ, & ſaluti animarum: Vita occupata in amore DEI; quia fruſtra is vivit in terris, qui DEUM non diligit; inſumatur in continuum augmentum gratiæ & gloriæ, in profectum ſemper in melius, ita ut altero die illuceſcente, vel unam actione excipiente alterâ dicatur: volo hodie DEO perfectiùs ſervire; adeoque ſi meus erga illum amor heri fuit ut quatuor, volo ut ſit hodie ut octo, & ſic ſemper creſcat; Si heri in tripla proportione omnia peregi, nunc volo, quantum ad animi affectionem & conatum, in ſeptupla vel decupla peragere, &c.

Sextò. Vita ſit vera, non apparens tantùm & Phantaſtica, ut Hæretici dicebant de Chriſti carne aſſumpta. Ubi anima tantùm eſt aſſiſtens corpori, non illud mediâ unione informans, Phantaſtica vita eſt illius corporis; nec actus vitales per illud verè exercentur, etſi videantur exerceri per Magiam, vel aliter. Sic planè vivitur, ubi regnat Hypocryſis, & mendacium vitæ; quatenus vult aliquis videri rectè & bono fine agere, etſi perperam, & vaniſſimo fine agat: Satisfacere ſuo muneri, etſi ad oculum faciat. At ſi verè utique juſtitiam loquimini, & amplectimini; recta judicate & agite Filii Hominum. ChriſtusVeritas & Vita eſt; jungatur veritas vitæ etiam huic quam profitemini: Non eſt autem hæc unio, ubi vita eſt exlex & ſine jugo; ubi ſimulata probitas, quæ duplex eſt iniquitas.

En vita multiplex: hâc vive ſi in novitate vitæ reliquum vitæ vis exigere; hanc poſtula velut medium, dum poſtulas vitam æternam, velut Finem.

PARÆNESIS IV.

Alia Sanctior novitas vitæ ſuadetur.

I.

OMnes vitæ Sanctioris ſpecies placet hîc decurrere, & felix planè qui omni hâc vita vivet.

Prima ſit vita Divina. Hâc hominem poſſe vivere docuit S. Ignatius noſtræ Societatis Auctor, qui ſe vivere non poſſe dicebat, ſi quid in ſe quoad vitæ & agendi rationem non ex omni parte Divinum agnoſceret. Vita hæc amantium DEUM eſt; quia amor eſt expresſivus amati; & major eſt, ubi eſt major ſimilitudo. At verò vita hæc ad ſimilitudinem quandam DEI ſanctè contendit, tum quoad ejus ſanctitatem & impeccabilitatem; tum quoad ejus perfectionem, utpote cui ineſt omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, ſeu quam melius eſt DEO ineſſe, quàm abeſſe; tum quoad finem altisſimum, propter quem omnia agit DEUS, nempe ſeipſum; tum quoad ejus longanimitatem & patientiam, tot ſcelerum & ſceleſtorum, tot ingratitudinum & offenſarum ſui, inter tot beneficia: tum quoad viſcera

viscera misericordiæ, & charitatem nimiam erga nos: tum quoad immutabilitatem: tum quoad concursum specialem ad bona opera: quoad non acceptionem Personarum; & alia DEI attributa, quatenus illa potest exprimere humana tenuitas. Qui sic vivit, DEUS quidam est ex illis unus, quibus dicitur: Ego dixi; Dii estis.

2. Ita tamen DEUS esto, ut etiam sis DEUS Homo. Nimirum vive etiam vitâ Christi, nec tam gloriosi, quàm pauperis, humilis, saginati opprobriis, pro stulto habiti & illusi, Viri dolorum patientissimi, novissimi virorum, obedientissimi ad mortē usque crucis, amatoris inimicorum, zelatoris Paternæ gloriæ & salutis humanæ cùm charitate immensa & liberalitate, quos cùm potuisset gutta, redemit undâ. Certè vita Christi, est vita Prædestinatorum juxta Paulum: Quos enim præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui. Si autem vita hæc habet aliquid fellis, & aceti; jam hoc in ore JESU CHRISTI Crucifixi dulcoratum est ac in mel amantibus abiit. Pudeat insuper delicatiùs vivere militem, quàm Ducem; non sit servus potior Domino suo, nec aridum lignum felicius viridi.

3. Vive adhuc vitâ Eucharisticâ, seu quali CHRISTUS in SS. Eucharistia. A cibo utique refunduntur quædam qualitates in alitum; multò magis hìc; ubi alitum convertitur in ipsum alimentum juxta illud: Cresce, & manducabis me, sed tu mutaberis in me. Ut ergo in SS. Eucharistiæ Sacramento tota terrena substantia Panis & vini perit;

ita

ita nil in te deinceps terrenæ fecis; nec inter eos esto, qui terrena ſapiunt: Quæ ſurſum ſunt, ſapite; non quæ ſuper terram. Sicut ibi latent res eximiæ, ut ſe ibi communicat omnibus ſine delectu Chriſtus, obedit ad verba Sacerdotis; eſtque ibi dulce Memoriale Dominicæ Paſſionis; Sic in vita tua aliquid his conforme reluceat. Sic ergo, qui manducat hunc panem, vivet.

4. Vitæ Divinæ ac Theandricæ adjunge etiam vitam MARIANAM. Hâc vive, ſi matrizas ô fili: Si Mater eſt viventium illa, etiam hæc illorum generatio ſit origo viventis à vivente in ſimilitudinem tendens cum matre hac, nos ſalubrius progignente. Quamvis autem ſufficeret fortaſſe vitam ejus æmulari in illis quinque virtutibus, nempe in puritate quàm maxima, in humilitate ſumma, amore erga DEUM ardentisſimo, in continuo augmento gratiæ & gloriæ admirabili, quippe quo Angelos & homines antegreſſa, meritorum verticem ad ipſum Deitatis ſolium erexit, ut ait Gregorius; deniq; in eo, quòd nihil illi placuerit præter DEUM, ut de ſe revelavit: Tamen qui vult vitâ illius vivere; cor, quod eſt primum vivens, MARIANUM imitetur. Illud verò ſic Chriſtus Dominus Divæ Mechtildi deſcripſit: Saluta, inquit, cor virgineum Matris meæ, quod primò fuit puriſſimum; unde prima votum virginitatis emiſit. Secundò. Cor humillimum; quia præcipuâ ſuâ humilitate meruit de Spiritu Sancto concipere. Tertiò. Cor devotiſſimum & deſideratisſimum; quia ſuo deſiderio me ſibi attraxit. Quartò.

Cor

Cor ferventissimum in amore erga DEUM & proximum. Quintò. Fuit Cor diligentissimum in omnibus conservandis, quæ in infantia, in pueritia & juventute peregi. Sextò. Cor patientissimum in mea Passione, quæ maximè cor ejus per jugem memoriam pertransivit. Septimò. Cor fidelissimum & heroicissimum; quia me unicum suum, pro mundi redemptione voluit immolare. Octavò. Cor in Orationibus sollicitissimum, pro Ecclesia novella intercedendo. Nonò. Cor in contemplatione sedulum. En cor MARIANUM! Dixerit illud: Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

5. Quidni adhuc vitam Angelicam commendem Angelorum commensali & futuro in Cœlis contubernali? ibi erunt omnes sicut Angeli DEI, sint & in terra; proportionetur quoad fieri potest meritum præmio. Nescio insuper an non pulchrius sit Angelum moribus & vitâ, quàm naturâ esse. Quare imitare illos stude tum quoad immaterialitatem illam: qui facis Angelos tuos spiritus: tum quoad inflexibilitatem in bono; tum quoad oculum à Deo irretortum; tum quoad continuam laudem DEI: tum quoad ministeria hominum, & illuminationem inferiorum Angelorum: tum quoad singulas triplicis Hierarchiæ & cujusvis Chori Angelici proprietates. Sic viventem, quidni Angeli ceu concivem agnoscant? quidni ad implendas rebellium spirituum ruinas invitent?

6. Sed adhuc vivendum tibi in terris vitâ Electorum ac Beatorum. Nemo est inter electos in cælo,

qui non vixit ut electus in terra: non in cælo eliguntur, qui eliguntur; ſed terra & vita adhuc mortalis, adeoq; ultimum vitæ inſtans, eſt à quo pendet electio. Aut enim electio eſt ad gloriam velut coronam; ut adulti eliguntur: aut velut ad hæreditatem, ut parvuli Baptizati: ſi ut ad coronam: merita requirit hæc electio quorum utiq; locus eſt in vita adhuc mortali; ſi velut ad hæreditatem, Baptiſmum in terris talis exigit electio. Præterea ſæpè aleris Frumento Electorum; quidni ergo vita tua ſit, quæ electum ſapiat, non reprobum? At Beati quales? Ibi pax ſumma, ubi poſſeſſio & viſio DEI, ibi amor continuus Beatificus, ibi fruitio DEI & gaudium de DEO poſſeſſo, ibi laus continua Dei, ibi unio & ſimilitudo quædam ad DEUM, ibi gratiarum actio, ibi ſumma cum DEO conſenſio. Etiam hìc ita quoad pleraq; Beatum eſſe licet, decet, prodeſt.

7. Non aſcendo, ſed potius in vitæ ſanctioribꝰ deſcendo; ut, ſi non potes apprehendere ſum̃am, inferiorem aliquam, (quod tamen tibi laudem cæli pariet) capeſſas. Si vitæ propoſitæ difficiles; vive ſaltem vitâ tuorum Patrum, quam in terris gloriosè traduxerunt, vive juxta ſpiritum tuæ Religionis, quem ex fine illius ac mediis, ex Regulis & ordinationibus, ex vitis ejusdem ordinis hominum colliges; Si quæ vita; hæc te addecet. Aliæ vitæ quaſi alienæ, hæc tua, ſibique propria: nemo alieno ſpiritu vivificatur: Seu non animatur alienâ animâ ſed ſuâ; quâ ſi caret, etiam vitâ caret. En habes vivendi normam multiplicem, ad novitatem vitæ ſanctioris accommodam. Sunt, qui omnes ar-

ripiunt,

ripiunt,& vitâ hâc multiplici vivere conantur, adeoque dicere poſſunt: Vivo ego ſed non ego; Vivit in me DEUS, vivit CHRISTUS, vivit DEIpara, vivit &c.&c. Tu vide ſaltem,ne in te ſit alicujus ſaltem ex dictis, vitæ privatio.

PARÆNESIS V.

Novâ Armaturâ Fortium induitor.

I.

SEu antea viciſti, ſeu victus es; novæ tibi ſemper pugnæ ſuperſunt in virtutis arena. Pugnam offeret tum hoſtis, tum civis & amicus: tum portæ cæli, tum portæ inferi; & virtus, & vitium, vitiique ſatellites ac prodromi; qui ad vitium diſponunt. Sola cum auxiliis Gratiæ virtus pugnam hìc conficit, & triumphat. Nempe virtus, cùm difficilis eſt, pugnam offert; Sed virtus, quæ difficultatem ſuperat, coronatur.

2. Si hoſtem ſemper habes, ſemper arma expedi. Hoſtis autem non ſemper novus; ſed aliquando cum uno diu bella trahuntur, qui novis ſubinde augetur viribus. Huic opponi debent tum arma vetera, ſed novis animis; tum novæ vires & auxilia. Vetera ſunt, oratio: ex ſtudio victoriæ impetrandæ, corporis ſuſceptæ afflictationes: præmunitio ſui anticipata per propoſita, & opportunas commentationes: conatus in contrarium: fuga occaſionum, &c.

num &c. Novæ vires cælitus item à novis motivis mediisque accersantur, pro varietate conflictûs; de quibus libri etiam & spirituales Magistri consulendi.

3. Fortium item arma vide: alii cunctatione, celeritate alii: hi astu, vel fugâ; illi aperto Marte: ferro alii, alii auro usi, & magnis animis: denique fame, vigiliis, omnibus elementis aliqui pugnârunt. Nec acies virtutis refugit hunc armorum apparatum; etsi pro ratione temporum & Personarum mutentur. Nam quandoq; hæc opportuniora, non quæ aliàs, quare mutemus clypeos. Cæterùm etiam hîc audacia inprimis pro muro habetur. Imbelles & molliores animæ, quia non audent in se, & hostem externum insurgere, non vincunt. Victoriâ tuî ipsius opus est, ut vincas. Vicisti omnia, si te inprimis vincas. Alterum ex Fortium armamentario telum accipe, & semper victor evades. Amor vincit omnia; sed DEI amor inprimis. Hâc armaturâ muniti vicerunt Martyres: atque adeo quod de S. Stephano Divus Fulgentius ait: Charitatem pro armis habebat, & per ipsam ubique vincebat: Quod item de S. Laurentio Divus Leo: superari charitas flammis non potuit; & segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit; hoc idem de aliis Christi Athletis sentiendum. Dilige & vinces. Habes ergo duplicem Fortium armaturam; victoriam tuî, & amorem DEI. Vince, & dilige, ut semper triumphes, tamen ut his armis gaudeas, hæc ipsa efflictim à DEO postula, à quo & arma, & victoria.

 4. Duo

4. Duo sunt, quæ virtutem oppugnant, Timor adversorum, Amor blandiorum. Inprimis adversa amori proprio, honori, voluntati, sensibus ac sensualitati, unum latus in acie occupant: Alterum latus tenent, iisdem blandientiâ per oppositum. Is ergo victor in hoc conflictu, qui nec adversa illa horret; & blanda contemnit. Utrique huic hosti, Timori & Amori vel duos illos pugiles oppone, quos jam hìc indicavi, victoriam tui opponens Timori; Amori, majorem amorem Creatoris & summi Boni, præ illo exili bono & fragili; aut certè Timori minoris mali utique, quod in conflictu objicitur, oppone Timorem damni majoris, quod animam concernit: si enim sapis, ratio debet præponderare, non sensus; at ratio docet, imò & voluntas recta magis horret majus, quàm minus malum. Amori etiam duplicem oppone amorem, DEI & virtutis, in quo bonum rationis prævalet, bono sensûs & pecoris. Sanè fortis est ut mors dilectio. At mors fortissimos prosternit, & sensum adimit tam mollium, quàm durorum. Charitate solâ loricatus dicebat: Quis me separabit à Charitate Christi?

PARÆNESIS VI.

Novus Fervor Spiritûs accenditor.

1.

NOvus fervor dicitur, cùm aut prior redditur auctior; aut dum extincto primo, inducitur no-

vus; cùm primò quis fervere incipit, cùm nunquam arſerit. An tu arſeris unquam, neſcio; Si non; primò efferveſce: Si primus ardor intepuit; eundem reſume ab iis Principiis, quibus primò incalueras: fervorem verò, acceſſu novi fervoris adauge. Horum ratio in promptu eſt, nam non ſerviiſſe DEO ferventer pudet inter tot ignitabula & amoris fervoriſque incentiva, inter quæ tu alges, & friges in igne. Jam verò tepeſcentem meritò corripiet ipſe timor damnoſi frigoris, quod charitatem extinguit penitus; ſine qua nihil prodeſt. Quid enim tepori à fervore recedenti vicinius, quàm hoc frigus? Deniqúe ſi antiquo fervori nil curas addere; nondum didiciſti, quantus ſit DEUS, cui ſervis, qui utiq; eſt major omni laude, major & ſummâ, quam illi dare poſſis: & ſummam contemnere poteſt; multò magis tam contemptibilem, quâ illum tepor vel minor colit fervor. Non es item inter majores DEI ſervos, qui in DEI obſequio dicunt, ampliùs, ampliùs; Et adjiciam ſuper omnem laudem tuam; ſuper omnem, tum quam DEO ipſe tribuo, tum quam alii, quoad potero.

2. Ut ferveas, adhuc ſubdo faces. Prima. Miniſtri DEI ſunt flamma ignis, teſte Regio Pſalte: Si ergo tu non igneſcis, vide ne ex ſyllabo ſervorum DEI expungaris. Secundò. Simile diligit ſibi ſimile: at DEUS noſter ignis conſumens eſt, quidni te igneum velit & diligat? Certè in lingvis igneis deſcendit in Apoſtolos, verbis ut eſſent proflui, & charitate fervidi, ut canit Eccleſia: Ita fervorem

 diligit,

diligit, quem ipse indit. Tertia. Eja exple, Domini tui votum, qui optat: utinam calidus esses! suadeo tibi à me emere aurum ignitum: Ignem veni mittere; & quid volo, nisi ut accendatur? Quarta. Fervor implet DEI præceptum præ aliis. Nam si præcipit diligere ex totis viribus, idipsum fervor agit; Siquidem ferventer operari, juxta Divum Thomam est operari secundùm ultimum & totum posse. Si ergo, qui diligit legem implevit; qui ferventer diligit, tantò magis implet eandem. 5. Subdent facem & ferventium exempla: subdent & Beneficia DEI, ut ubi diligit tanta Majestas & liberaliter sese effundit; tu vix atomum refundas. Omitto, quæ in Face Ascetica sub titulo: In igne Dominus pag. 256.

3. Ignis extinguitur vel pabuli subtractione, vel vi aquarum offusâ vel ventorum vehementiâ: tamen ignis in sua sphæra durat sine omni pabulo. Et quamvis juxta aliquos stella Saturni frigeat ob viciniam aquarum supercælestium; tamen alicubi nec aquæ multæ charitatem extinguunt; & venti, Ætnæ ac Vesuvii incendia juvant. Tu ergo vide, quid in te fervorem Divini servitii restinguat. Habet præstò pabula hic ignis, ut sunt meditatio, frequens ac debitus Sacramentorum usus, ubi igne pasceris: lectio sacra, sacra colloquia, & exhortationes &c. Quæ autem aquæ offundant hunc ignem, vide & amove, aut potius claude hos aquæ ductus, vereor ne effusio nimia in res externas, amor libertatis, horror disciplinæ ac difficultatis; amicitiæ privatæ cum licentio-

centioribus, vani respectus, tædium in rebus sacris, ne hæ, inquam, sint aquæ fervori exitiales. Heu fuge littus avarum, & aquas hujusmodi, qui ferventioribus DEI servis accenseri peroptas. Potiùs pone te juxta ignem; jungere DEO; & sic cum igne ignis eris: Pone & tu in sole tabernaculum tuum; in DEO absorbere; & ignesces. Nec adversa obsunt huic igni, qui alibi magis intenditur aspergillo aquæ. Imò intendi ad circumobsistentiam Contrariorum, antiperistasis amoris est. Item ex attritione durorum; ut silicis & chalybis, elicitur ignis; & flabra incendium excitant. Et te ergo nihil adversi à fervore dimoveat.

4. In DEI obsequio tria hæc distingve: calorem, fervorem & ardorem. Fervor calore major; ardor fervore: calere parum est; fervere & ardere perfectum. Fervor est intus, seu in re ipsa fervente ac ebulliente: ardor etiam extrà erumpit, & illustrat omnia, & accendit. Fervoris indicia hæc habeto: Agere promptè & libenter: agere ex amore qui ignis est cor depascens: Agere cum applicatione maxima, juxta ultimum posse, & juxta vires gratiæ: Item conari agere veluti adæquatè auxiliis, & dignè DEO, & juxta cor ac omne beneplacitum DEI: velle continuò magis magisque bonitatem actus augere; æmulari inter agendum ferventissimos DEI servos, vel currentes in stadio ad bravium; vel currentem in siti ad aquas, in æstu ad umbram. O sic accendi! O sic fervere! O sic bullire & ardere!

PARÆNESIS VII.

Per novum Fervorem, Teporis Proscriptio.

I.

TEpor est qui fervorem spiritûs oppugnat. Anima enim in DEI servitio aut fervet, aut friget, aut tepet. Fervere sanctum est: frigere iniquum; tepere periculosum. Inter teporem & frigus animæ est medius tepor: Sed non quodvis medium est bonum. Virtutis quippe hostis est tepor, quæ medium tenet inter excessum & defectum vel inter duo extrema vitiosa. Sed hìc non utrumq; extremum vitiosum est: fervor enim bonus est, qui est unum extremum: Potiùs ergo virtutis est declinare in fervorem; quàm vel in frigus, vel medium teporem. Nam frigus animæ charitatem extinguit, & gratiam sanctificantem non patitur; tepor autem in frigus animæ tendit. Time id, qui tepescis! Si horres pericula, quid tepore periculosius!

2. Qui mediocritate virtutis est contentus, frater est tepidi, vel omnino tepidus. Sicut calidum ut quatuor, ob adjunctos alios gradus quatuor frigoris, tepidum vocamus, nempe ob caloris mediocritatem. Hinc Hieronymus monebat: Nihil mediocre; totum summum, totum perfectum desidera. Ita à mediocri virtute timendum putavit hic Doctor: Adhæc ubi mediocritas virtutis; ibi & animi

animi remiſſio, quæ ſenſim omni bono animum deſpoliat; eò quòd per talem modum agendi non mereatur gratias actuales, ſed è contrà ſubtractionem, juxta illud Scripturæ: Egeſtatem operata eſt manus remiſſa.

3. Horres monſtra? tepore quid monſtroſius? Larvam illi detego, quâ ſe tegit. Parum eſt ſi de illo dixero, quod de idolo Bel dicitur, quòd fuerit extra aureus, intus luteus; nam tepor nec extra quidquam gratiæ ac illicii habet; & intus ſat horroris vide enim, ut ſe gerat tepor! nil agit accuratè; negligenter ferè omnia, obiter, oſcitanter, perfunctoriè, ſuperficialiter: omittit pleraq; non omittenda, vel mutilat: admiſtis voluntariè imperfectionibus inquinat bona ex ſe: nauſeat in Divinis, tædio afficitur in obedientiæ ac zeli exercitiis: leviùs æſtimat ſpiritualia; otium ſectatur: effundit ſe libenter in exteriora; unde interiorum cura deſipit; exilem vel nullam præparationem ad Divina adhibet; nil exactè, nil intensè, nil juxta morem gnavi & fidelis ſervi, vel amantis bona Domini ſui operatur; adjungitque ſe iis, quos Scriptura maledictos vocat, quia opus Domini faciunt negligenter. DEus bone! eſtne quod in hoc tali monſtro amet recta voluntas, approbet recta ratio? Quare excedat monſtrum hoc; exterminetur ab animo & actionibus, ac modo agendi. Proſcribat illum fervor novus, & ſæpius renovatus; proſcribant motiva fervoris allata ſuperius: proſcribat ratio dignitatis ac juſtæ voluntatis Divinæ: proſcribat amor virtutis & præmii magnitudo;

tudo: deniqúe proſcribat tum meritum Sangvinis Chriſti nos ardentiſſime amantis, tum metus illius abominandi horroris, ori Dominico ciendi. Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

§. III.

Quædam Renovationis Spiritûs Adjuncta.

Multa hic titulus complectitur, quæ lucem addent renovaturo ſpiritum mentis ſuæ; ut ſciat, quò collimare, & quomodo ſeſe gerere debeat, in ſanctæ hujus Renovationis negotio.

I.

Quid Renovatio Spiritûs?

Seu

Deſcriptiones illius.

I.

RENOVATIO hæc, eſt Speculum correctivum. Inter alios effectus Speculi eſt corrigere, quæ in eo diſtorta videris. Efficax Monitor eſt Speculum ad tollendos nævos, quos ſeſe conſideranti objecerit: Statim urget, ut tollas, ut corrigas. Renovatio ſpiritûs ob adjunctam reflexionem ſupra actus præteritos, ſpeculi vicem ſubit, & quemcunque ſibi repræſentando quid corrigendum

dum ſit oſtendit. Sæpe de illa dictum: Correxit Orbem terræ: nempe dum ritè peracta eſt.

2. Renovatio eadem eſt fida & ſuavis Excitatrix. Quosdam in vita ſpirituali ſopor, ne dicam, lethargus opprimit: Dormitaverunt omnes & dormierunt. Ut autem ſopor alligat artus, & ſenſuum miniſterium impedit, actusque liberos ac meritorios; Sic & ſomnus animæ. Quare Renovatio illud occlamat: Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere: ſurge qui dormis; & illuminabit te Chriſtus. Quot pia motiva, tot excitamenta & ſtimuli. Stimulus eſt Conſcientiæ remorſus ac tormentum, timor Judicis clamantis; Vigilate: tot mediorum opportunitas, renovationis commoda; Sanctorum exempla, obligatio ſtatûs ad perfectiora: Dignitas DEI eminentiſſima; Guſtûs Divini recreatio, DEI profuſa erga nos dilectio: Meritorum CHRISTI coronatio; ejusdem dignationum erga nos recompenſatio: vitæ brevitas, æternorum horror amorque: Cælitum ſpectacula & gaudia, ſolatium in morte, ac beata æternitate. En quot Excitamenta Renovationis! Alexander Macedo, ne inter belli negotia graviori ſomno opprimeretur, prope lectum pelvim auream reponi jubebat, manu exporrectâ ſupra pelvim pomum aureum tenens; ut ſic excidente per ſoporem pomo, pelvis ſonitus ſoporem excuteret. Meliora hìc ſpiritûs excitamenta.

3. Renovatio eſt indumentum virtutis ex alto, & præmunitio ſuî contra difficilia, contra tentationes, contra reſpectus humanos, contra habitus pravos

 & vitia

& vitia, contra teporem, contra impedimenta Vitæ melioris & tutioris. Armari hìc etiam debet animus ad tolerantiam & amorem Crucis. Quare hinc ſingulis illud dicitur: Sedete hìc donec induamini, virtute ex alto. Hæc virtus eſt Spiritus Sanctus ejusque donum Fortitudo, cujus eſt adverſis non dejici, ardua tentare, & vincere, atque eò pervenire; ut dicas: Quis me ſeparabit à charitate? Certus ſum, quia neque mors, neque gladius, multò minùs minora terriculamenta me dejicient à proſecutione virtutis.

4. Renovatio, eſt reſurrectio moralis, ſimilis Reſurrectioni Chriſti glorioſæ, vel mortuorum. Chriſti reſurrectio plena gaudii; & tua exhilarabit cælum, tuamque Religionem; adeoque & in reſurrectione hâc tuâ cælum & terra lætantur; maximè ſi ſit ſimilitudo cum Chriſto Reſurgente, qui reſurgens ex mortuis, jam non moritur; ô nempe ſi myſticè ſic reſurgas, ut in ſepulchra vitiorum non rurſum proruas, illudque monitum Pauli obſerves: ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite; quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. At verò ut in Reſurrectione mortuorum, caro incinerata reſtituetur, & unio corporis, cum anima, & exultabunt oſſa humiliata: ſurgent juſti in vitam æternam; ita renovatio corrupta reparat & non permittit iterum videre corruptionem. Cavendum enim, ne illud hìc contingat: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur: panamque eſt tunc fieri mutationem in melius.

5. Adhuc renovatio, eſt recogitatio jacturæ multiplicis & ſolers ejusdem reparatio. Occurret hic jactura temporis & tot dierum, jactura augmenti gratiæ & gloriæ: jactura majoris Divinæ gloriæ, jactura ſolatii Divini & Cælitum: jactura bonæ exiſtimationis in communitatem redundans: jactura tranquillitatis internæ: jactura ædificationis, & ruina ſpiritualis aliorum. Quid ergo? Implebit ruinas haſce, reſarciet jacturas Renovatio. Aliæ deſcriptiones congruæ renovationi ex ejus affectibus patebunt.

II.

Symbola Renovationis Spiritûs.

I.

PRimum renovationis internæ Symbolum eſt Aquila, quo ſymbolo utitur Pſalmus: Renovabitur, ut aquilæ juventus tua. Porrò Aquila renovatur è quorundam ſententia, veteres plumas ponendo & ſenium; ideoq́ue primò ſe aquis immergit; tum ſurſum evolat, plumasq́ue excutit, quarum in locum aliæ ſubnaſcuntur. Aliqui dicunt Aquilam ſeneſcentem, roſtrum duntaxat renovare, quod ob nimiam aduncitatem impedit cibi ſumptionem, & affert interitum, niſi ad petram roſtro vetere alliſo, aliud renaſceretur. Si Aquila es, eſto ex illis de quibus Eccleſia: Sanctorum velut Aquilæ juventus innovabitur; aſſument pennas ut Aquilæ volabunt, & non deficient. Plumæ & pennæ veteres ſæpe

degravant potius quàm sublevant, nam penna vetus vel desidiam amat, vel si volat, deficit. Excute illam, novamque subroga, quæ te continuò in alta sublevet, ac sole frui in solem illum pupillam defigere sinat. Quidquid item aduncum est & quod vitam spiritualem impedit, excute ad Petram Christum.

2. Do & alium modum, quo velut aquila renoveris; si nempe non jam terrestrem Aquilam exprimas, sed cælestem ex quatuor illis animalibus, ab Ezechiele descriptis unam. Hæc illi tribuuntur: Coram facie sua ambulabat; nec revertebatur, cùm incederet: ubi erat impetus spiritûs, illuc gradiebatur: ibat in similitudinem fulguris coruscantis; Manus hominis sub pennis ejus: plena oculis: requiem unà cum aliis animalibus non habebat, die ac nocte dicendo: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Omnipotens: si non fuisti; esto deinceps talis Aquila & sanctè renovaberis.

3. Alterum renovationis Symbolum est serpens pellem antiquam exuens. Nimirum maceriam & angustias subintrat, & sic vetustâ pelle se despoliat, ac renovatur. Restringe te, ubi es laxior: accede ad violentos cæli raptores, tecumque luctam ini, ubi virtuti & perfectioni inclita vitia se opponunt. Aut certè Christi passi vulnera sint tibi caverna maceriæ, quæ te antiquis moribus spolient, induant novis. Quid enim hæc non efficiant?

4. Tertium Symbolum sit Phœnix renascens è suo cinere; cinis ille ex odoratis arbusculis & suo funere, ex igne radiis solaribus excitatc, cælesti scilicet,

cet, non terreno igne, tam eſt vitalis! Sic renaſcitur hæc Solis ales! moritur ac eſſe deſinit is, qui fuit, & ſic renaſcitur. Eunt in ignem & rogum illum odoriferum omnia, quibus enituit; & ſic novus prodit Phœnix. Rogum & tu, tuis omnibus tibique exſtrue: in hoc holocauſtificè amor cæleſtium, amor Creatoris te & omnia concremet; exurat, quidquid vetuſtum eſt ignis ille; ſic renovaberis.

5. Quartum Symbolum ſit templum Hieroſolymitanum, quod tam operosè & ſumptuosè à Salomone imprimis exſtructum, deinde ante captivitatem Babylonicam dirutum, dein poſt annos 70. reparatum; deque illo Aggæus Propheta prædixit: Et erit gloria domûs iſtius noviſſimæ major, quàm primæ: & implebo domum iſtam gloriâ. Videre licet inſuper, quomodo purificatum ſit deinde idem templum ſub Juda Machabæo: Et mundaverunt Sancta: & ædificaverunt altare novum: & fecerunt vaſa ſancta nova, & incenſum poſuerunt ſuper altare; & ornaverunt faciem templi coronis aureis; & averſum eſt opprobrium gentium 1. Mach. 4. Templum nos voluit ſibi fieri DEUS; ſed quàm ſæpe hoc templum diruitur; profanatur! Renovatio ita reparare poteſt quod dirutum, ut major ſit gloria noviſſimæ domûs quàm primæ. Hæc omnia ornamenta reducit, nitorem revocat, &c.

6. Quintum Symbolum Renovationis eſt, Mundi renovatio poſt judicium juxta vaticinium Iſaiæ 65: Ecce ego creo cælos novos, & novam terram.

Et Apoc. 6. dicitur: Vidi cælum novum & terram novam. Primum enim cælum & prima terra abiit; & mare jam non eſt. Et 2. Pet. 3. Novos cælos & novam terram exſpectamus, in quibus juſtitia habitat. Vetera ergo igni exurentur, nulla nox deinde erit ſuper terram, dies perpetua, elementa (ait Divus Thomas) omnia novâ claritate veſtientur: terra & totus mundus erit diaphanus, nec jam corruptioni obnoxius. En Schema renovationis myſticæ! novos cælos hæc condit, in quibus juſtitia habitat: omnia deinceps in factis illuſtria, omnia incorrupta: Vetuſtati hìc non parcitur, ſed deſcendit ignis de cælo, & devorat, quidquid vetus homo deperiêrat.

7. Sextum Symbolum eſſe poteſt regeneratio ex aqua Baptiſmatis, quæ omnem reatum culpæ & pœnæ abolet, facitque nos ſine macula & ſine ruga, nec non veſte illâ ſplendidâ induit: Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Nempe beata mentis eſt renovatio, quæ ſacram hanc regenerationem imitatur & exprimit. Omitto ſeptimum Symbolum Renovationis, hortos & arbores in vere revireſcentes, quas bruma frigore decoxerat, & omni nitore decoreque ſpoliârat. Nempe nunc temporum viciſſitudo hanc varietatem inducit: at ſub aureo ſæculo Ver ternum mundus agebat, nec ibi temperies aëris mutabatur! tanti eſt ubique conſtantia! Et certè hæc ſola nos de prima virtute dejicit, ut novo ſit Vere opus ac renovatione; ubi non eſt Ver æternum.

III. *Mi-*

III.

Miracula Renovationis.

I.

QUiddam thaumaturgæ virtutis ineſt Renovationi Spiritûs. Quæ enim hìc non prodigia, dum animi ſenectam in vividam juventutem commutat? De Chirone, Poëta canit: Cruda DEO viridisque ſenectus: at hìc ſenium mentis non tam viret, quàm adoleſcit, fitque de ſenecta viridis juventus. Quid hìc non prodigii, ubi Renovatio morbos animi ſanat, repentè eos depellit? unde hìc jam ſurdi audiunt, qui nempe ad vocem exactoris DEI & ſuperiorum obſurduerant: cæci vident, quæ antè non viderant, ſeu non cognoverant excæcante vel ignorantiâ culpabili, vel amore proprio: ubi leproſi mundantur, ſeu propria voluntas lepra ſit juxta Bernardum; ſeu quævis animi labes. Suſcitatur item extinctus antè ſpiritus &, quæ aliis miraculis antecellit, mira ſubſequitur converſio animorum. O verè thaumaturga Renovatio!

2. Facit eadem renovatio miras Metamorphoſes, quarum una eſt illa: Ego, jam non ego ſed in me jam Chriſtus, in me jam Ignatius vel Bernardus, in me ſpiritus Primorum Patrum, & ſancta Metempſichoſis. De Proteo, illud eſt, quòd ſe formas mutaret in omnes; Ignemque horribilemque feram, fluviumque liquentem: neque hìc aliter evenit, ubi in varias Ideas ſanctiores defixus animus, omnium ſibi

ſibi perfectionem imprimit, & pro ratione circumſtantiarum unus eſt deinceps omnia, & omnibus omnia. Adhæc fervor novus gelu etiam accendit, ſenſum immutat, & pardus hìc ſuas varietates amittit. Quid deinde, cùm renovati linguis loquuntur novis, non veteri linguâ? cùm novi homines, novæ efficiuntur, ut ſupra dictum, creaturæ? cùm feræ manſueſcunt; ſic enim indomitas animi paſſiones non nemo vocat; cùm Zona frigida mutatur in torridam? En quot hìc miracula?

3. Imò ſimile quid renovatio hæc præſtat, quod die Pentecoſtes operatus eſt in Apoſtolis Spiritus Sanctus, teſte Divâ Mechtilde: nam primò (inquit illa) ſic amore Divino ſuccenſos permutavit, ut qui antè timidi & infirmi, ac ſeipſos amantes erant, tam fortes ſint effecti, ut gaudium & gloriam reputarent, ſe pro DEI amore adverſa tolerare; Secundò ſicut ignis ferrum purificat, & ſibi ſimile efficit; ſic Spiritus Sanctus Apoſtolos ab omni labe purgatos, in ſe ipſo ad plenum ſanctificavit. Tertiò ita illos replevit ut ſeipſos oblivioni tradiderint: non honorem aut proprium aliquod commodum appetentes, ſed DEI ſolius gloriam requirentes; ita illos ſua dulcedine implevit, ut eos nullum deinceps terrenum gaudium; & ſolatium à DEO ſeparare poſſet; ita amore cæleſtium eos imbuit, ut ineffabili deſiderio accenſi, DEUM ſolum quærerent, & illi toto deſiderio ac affectu inhærerent. Hactenus Divæ illius verba. Quæ malles potiora miracula præ his? Et tamen ſimilia operatur impleriſque Spiritus Sancti

gratia

gratia ſub Renovationis tempus; ac ut operetur, poſtulandum. Pauli miraculoſam converſionem audiviſti? Nec iſta hic deſideratur, ſi Saulum inveniat, qui ſic luce de cælo affulgente immutetur, ut ad omne DEI beneplacitum jam promptus dicat: Domine quid me vis facere? Equidem thaumaturga eſt Renovatio.

§. IV.

Effecta Renovationis Sacræ diſertiùs exponuntur.

Hæc quidem jam ex parte attigimus; Sed hic aliqua diffuſiùs proponenda.

EFFECTUS RENOV. I.

Mutatio in melius.

I.

DEUS ſolus immutabilis, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, nec enim à bonitate poteſt deficere; quia neceſſariò ſemper eſt bonus: neç mutari poteſt in melius, quia ſemper eſt optimus. Homini mutatio eſt familiaris aut in bonum, vel melius; aut in malum, vel deterius. Pulchrum eſt illi mutari in bonum, meliusve; non minùs, ut plumbo vel alii rudi metallo pulchrum eſt in aurum transformari. Nimirum & creſcere poteſt ſemper homo

in

in bono morali (nam ſicubi certe hic non datur Creatura perfectiſſima, vel cui nihil ultra perfectionis accedere poſſit) & in eodem bono morali creſcere debet inter tot auxilia gratiæ; niſi velit hanc in vacuum accipere, quod vetat Divus Paulus, & proficiendi obligatio in ſtatu, eorum, quibus lex illa præſcribitur: Ibunt de virtute in virtutem.

2. Mutatio facit tranſire aliquid à non eſſe ad eſſe; vel etiam è contra, ab eſſe ad non eſſe. Utramque mutationem recipit virtus & perfectio: De Prima innuit Paulus: Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. En tranſitio à non eſſe lucis ad eſſe lucis glorioſa! De altera dicit, dum de ſeipſo: Ego non ego ſed jam in me Chriſtus. Ubi vides quòd hâc alterâ mutatione tranſitur ab eſſe ſuo ad non eſſe tale; ſed tranſitur in aliud; ut hic Paulus in Chriſtum mutatur, deſinens eſſe quodammodo Paulus. Utramq; mutationem Renovatio Spiritûs intendit: nimirum & ut non ſis, qui fuiſti; ſi imperfectus, aut minùs perfectus fuiſti; & ut ſis, qui non fuiſti, ſi quid in te deſideratur virtutis, quâ hactenus caruiſti. Ergo ſic immutare, quodcunq; ex his duabus, mutationis genus arripias, ſemper mutaberis in melius. Ut verò id efficias, tecum prius expende, quid in te eſſe, & quid non eſſe expediat; ſeu quid in te ſit, quod non deceat eſſe: quid item in te non ſit, quod eſſe in te expediat, idque à te exigat Cælum, exigat religio, exigat perfectio ad quam tendere debes. Huic mutationi ſubeſſe, tibi glorioſum eſt. Alibi ſtultus dicitur ut Luna mutari; hoc mutationis genus, Summa ſapientia eſt.

3. David

3. David Rex de se dicit: Nunc cœpi. Pridem antè cœperat, & quidem vitam juxta ipsius Cor DEI; quid ergo nunc se cœpisse ait? Adverte quòd malum sit dicere, Cras incipiam; nam & sera nimis est vita crastina; & quidam ob morem procrastinandi, per probrum Rex Crastinus dicebatur: nec sat bonum est dicere, Heri vel nuper cœpi; nam non fuisse, sed esse Probum necesse est: semper sit nunc virtutis. Nunc, semper est novum atque recens: nam vetus vel prius nunc, nullatenus durat. Et tales sunt anni atq; dies Justorum, ex nunc, nunc coalescunt, nempe ex novitate quasi semper inchoata: eò quòd dum proficere laborant, semper aliquid ponant, & ad DEI laudẽ adjiciant, quod antea nunquam posuerunt & adjecerunt; adeòque semper incipiant esse, qui vel quales non fuerunt quoad modum, & augmentum virtutis, non sine laudabili mutatione. Ideò Rex prædictus inquit; Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi. O igitur nunc beatum! O nunc cœlo desiderabile, nobis gloriosum!

4. At illa dolenda sanè mutatio: quomodo obscuratum est aurum! mutatus est color optimus! Sic enim aliqui transeunt ab esse auri ad esse plumbi, vel quid deterius! Dolenda est illa Nazaræorum mutatio, à pulchritudine sapphiro simili, à candore nivium æmulo, ad atrum colorem. An & tu non tale aurũ? an tu non ille Nazaræus? si ita est; utraq; lacrymas elicit Prophetæ mutatio, nec ludibrio caret, per quod talibus insultetur. Potiùs ergo tam indecoræ succedat decora mutatio: Redi ô plumbum, & rudis ferri massa, ad colorẽ optimũ & lucẽ auri: Re-

di ad laudem Nazaræi. Nam si stultus velut Luna mutatur; Stultior ille, qui non immutatur de tam malo & deplorando statu, per quem à statu virtutis sese ad probra vitiaque dejecit.

EFFECTUS RENOV. II.

Conversio morum quasi Eucharistica.

I.

CONversio in Scholis dicitur mutatio totius in totum, ita, ut nihil substantiæ præteritæ maneat, sed tota nova succedat, etsi sub iisdem accidentibus; ut fit, dum SS. Eucharistiæ Sacramentum, conficitur. Etiam Renovationis Religiosæ finis, similis est conversio. Intendit illa convertere corda Patrum in filios; ita ut videantur quidem esse externâ specie hi, qui fuerunt, virtute totaliter alii & perfecti; planè ut de Præcursore Domini Divus Gregorius ait: Joannes in Spiritu & virtute Elias erat; in persona Elias non erat. Vult nos illa totaliter immutare, & in omnibus, in quibus deficimus. Ad mutationem id sufficeret, si in aliquo saltem emendatiùs te deinceps geras, quàm antè; ad conversionem non item, in qua debet esse mutatio totius in aliud totum; adeoque renovatio exigit, ut nihil de illo imperfecto (imperfectum meum viderunt oculi mei Psal, 138.) in nobis maneat; sed post to-

tum

tum illud imperfectum, ſuccedat totum perfectum illi oppoſitum, aliàs non eſſet hæc deſiderata Converſio.

2. Converſio Euchariſtica maximè te docebit, quomodo morum converſio facienda. In SS. Euchariſtia, ſapor, color, odor, eſt ſubſtantiæ, quæ ibi non eſt, ſed loco illius Caro Verbi ſacratiſſima: Exuviæ illæ panis & vini tegunt DEUM Hominem, non merum panem communem canibus & brutis. Quare converſio tua moralis à te requiret, ut inſit & tibi deinceps quiddam Divinum vel Theandricum: ad extra color hominis & candor, intus quiddam inſit Divinius. Sis poſthac in omnibus eximius, ut & in Sacramento Altaris vi conſecrationis & converſionis ponuntur & latent ibi res eximiæ, ut canit Eccleſia: nihil in te, quod terram & terrenum hominem ſapiat, patere, ut ibidem nihil ſubſtantiæ terreni panis remanet. Qui de terra eſt, de terra loquitur & cogitat; tu cave, ne de terra eſſe, è loquela convincaris. Deniq; converſio in optimum, optatiſſima in te fuerit cælo tranſubſtantiatio, & transaccidentatio; quæ altera etſi ibi in altari non ſit, cùm accidentia panis & vini maneant; tamen in moribus externis etiam, non intus tantùm ſæpe mutatione homo indiget; & tu quod in iis immutes, fortaſſe invenies.

3. Duo adhuc in hac Converſione morali efficere curabis. Primò: Sicut in peccato eſt converſio ad creaturam, averſio à Summo & incommutabili Bono; ſic in tepido ſervitio DEI à fervida & perfe-

perfectiori ratione tendendi in DEUM receditur, ad remissam & perfunctoriam tendendi rationem acceditur. Quare ut conversio peccatoris fit per conversionem oppositam, nempe à creatura ad Bonum incommutabile; Sic conversio nostra moralis, de qua agimus, ad fervorem Divini Servitii, à tepore aversa, contendere debet. Nempe Eucharisticâ illâ conversione CHRISTUS positus sub speciebus Sacris, ferventissimè colit ibi Patrem Æternum, ut summus Sacerdos ipse, & Hostia: proinde & te fervorem illius in cultu Divino par est æmulari, si Conversionem Eucharisticam imitaris. Secundò sunt aliqui, ut filii Ephrem, qui (teste Regio Psalte) intendentes & mittentes arcum conversi in die belli, imo noluerunt in lege DEI ambulare. Mala conversio, ubi citò perversio. Mala item conversio, ubi meta sagittarum prava substituitur, primò in hostem, deinde in DEUM, & contra legem illius collimando; vel dum post sanctas intentiones extra DEUM ac æterna fertur intentio; adeoque aut finis indebitus actionibus vitæ præfigitur, aut in mediis ad finem fit abusus. Tollat hæc absona, qui horum est conscius, ut sit conversio inculpata; & intentio cordis solùm pro meta habeat DEUM, ad quem tota se mens convertat, nec unquam avertat. Nam Conversio non est Eucharisticæ æmula, nisi etiam sit sancta.

EFFE-

EFFECTUS RENOV. III.

Errata corrige, & corrigit.

I.

COnſcientiæ hominum ſunt velut libri, aut velut viatores, qui utrique erroribus ſunt obnoxii, varii errores in via Spirituali. Alii in delectu rerum, alii mediorum ad finem errant: alii in proſecutione vel fuga eorum, quibus aliud deberetur: alii in putatitio obſequio DEI, in minutulis rebus idem ponendo, neglectis potioribus; ut ſunt, qui culicem excolant, camelum glutiunt. Errant alii quoad principia & ſenſa quædam animi, quibus reguntur: alii in plurimis ſapienter ſolertes, in uno delirant: alii in omnibus & toto cælo errant, nec regi tamen ſe patiuntur. Quisquis es inter illos, errata corrige.

2. Modus corrigendi vitæ errata ſumi poteſt à Correctoribus librorum & viæ. In libro Menda emenda, dele, ſupple, immuta, auge, expoli, & tunc fiat ſecunda libri editio correctior. In via qui errat, cognito errore hanc deſerit, de alia meliore via, aut compendioſiori inquirit, eamque arripit. Et in via Spiritûs optima & brevisſima eſt via recta per quam etiam DEUS Juſtum deducit. Optimum declinare vias difficiles, de quibus ſerò quidam conqueſti: Ambulavimus vias difficiles. Optima arcta illa via, quæ ducit ad vitam; non trita & ſpatioſa, quæ ad interitum. Qui ergo errat, in vi-

am se reducat meliorem. Prudentia corrigendi errores hujusmodi, deducitur è lumine cælesti, ex ducibus vitæ spiritualis, quos interroga, & dicent tibi: ab exemplis Sanctorum, ab authoritate legum, & imperiorum Superiorum, à rationibus æternis.

3. In stellis aliæ fixæ, aliæ erraticæ. Erraticæ nunc supra, nunc infra solem, ut Mercurius & Venus, apparent, nec suo cælo hærent, sed illis novos Orbes & Epicyclos debent excogitare Mathematici. Fixæ semper sunt in firmamento, ubi pulchra stellarum congeries, ordinatissima series: & hæ eundem semper situm retinent. Si hactenus & tu inter errones fuisti, esto jam stella fixa nec tibi alios motus & orbes quære, sed in quo te DEUS & vocatio posuit, cælo firmiter juxta ductum & Spiritum vocationis persiste: hoc tuum erit Firmamentum, cui Stellæ infixæ per vota, semper inhærere debent, & inhærendo non errant.

4. De Christo Domino dicitur illud: *Etenim correxit Orbem terræ, qui non commovebitur.* Hoc explicant aliqui de eo, quòd Christus mores mundi per instituta & commercia gentium depravati correxerit per suas sanctissimas leges & exempla suæ vitæ, quæ qui sequitur, commoveri & errare non ita possit, ut antè. Unicum certè Domini præceptum de dilectione Orbem in summa pace constituit. Unde correctio Orbis duplex à Christo; per dilectionis legem; & exempla. Qui erravit in multis, his ducibus ab errore reducatur. Optimus Corrector

rector Charitas, & exempla Vitæ Christi: ipsam sequens non devias; illam exercens non erras. Porrò interest videre, quid corrigas, ô Sancte tui Corrector; & quomodo. Quare i per singula, ubi error deprehendi possit, discute intentionum, sensuum quorundam animi, intellectûs & voluntatis errores, lingvæ & conversationis nævos, &c. & modum corrigendi explora, adinveni, sequere.

EFFECTUS RENOV. IV.

Genethlia Spiritûs Renovati.

I.

REligio nos DEO parit: in ea nascimur primo ingressu, dicitq; tunc illa. Filius meus es tu; ego hodie genui te. *In* renovatione Spiritûs & votorum renascimur, seu rursus nascimur, quasi etiam nobis tunc diceretur illud dictum Nicodemo: Oportet vos nasci denuo. Primus tamen Natalis sæpe sanctior, & fervor tunc major ac diuturnior; item pleraque initio faciliora, quàm in progressu: tunc sapiebant omnia quæ sensim immeritò desipiunt; quasi meliùs in rem introspexerit homo recenter è seculo conversus, & adhuc tot luminum cælestium expers, quàm postea in tanto lumine ac æternorum notitia. Quare meritò renascendum est, & iterum iterumq; expedit, ut simus quasi modò geniti infantes, ut primus ille fervor simul renascatur. Prima opera fac, cuidam dicitur in Apocalypsi; nobis singulis in Religione.

2. Cuidam Poëta objicit: Uno naſceris octies in anno. Eò quòd natalem ſuum ſæpius celebraret; quod ſibi quæſtuoſum & utile experiebatur, per accepta toties dona miſſilia quibus Natalis aliorum dies à veteribus colebatur. Quæſtuoſior longè est Natalis animi ac ſpiritûs: raris enim donis cæleſtibus accumulat renaſcentem; unde juvat, ut uno ſæpius renaſcaris in anno.

3. Triduum illud Renovationis imitatur Deum dicentem: Qui portamini à mea vulva. Ibi enim fætus hic ſpiritus concipitur; ideoque idem triduum ut Pater luminum gignit te ad ſimilitudinem Filii DEI in ſplendoribus ſanctorum progeniti. Et quoniam Filius eſt ſubſtantialis imago Patris, eſtque ſimilis naturæ, ſi aliquis ſub hoc triduo renatus ſanctè deinceps vivat, ut triduum hoc illum format; Si principia illi inhæreant tum cognita, quæ in illo ſanctiorem vim formatricem exercuerunt; Si denique ſimilitudinem fervoris triduo concepti retineat; ſemper tantò lætius idem triduum illud inclamat. Filius meus es, feliciter genui te.

4. Idem triduum dici poſſet ſimile triduo mortis Chriſti, quod deinde parturiit hunc Primogenitum mortuorum; & quidem glorioſum, & jam impaſſibilem, & novellam illam ſuam Eccleſiam miris modis lætificantem. Nimirum ſæpe etiam contingit ut in quibuſdam pænè extinctus videatur ſpiritus mentis; ſed triduum hoc ſacrum vitam ſanctiorem reparat, & toties primogenitos mortuorum efficit redivivos, ita ut deinceps glorioſiùs ab iis fiant omnia,

mnia, & mirè lætificetur cælum & cætus ſanctior, in quo vivunt.

3. Videtur etiam hæc regeneratio ſpiritûs perſimilis eſſe primæ generationi mundi adeoque opera ſex dierum creati tunc mundi in hoc triduo relucent. Primæ diei renovationis reſpondere poteſt primus & ſecundus Creationis mundi dies, quando DEUS dixit. Fiat lux; diviſitque lucem à tenebris: item cùm dixit: Fiat firmamentum in medio aquarum; & dividat aquas ab aquis: congregentur aquæ in unum locum; & appareat arida. Omnia hæc per ſenſus tropologicos ad effectum primæ diei ſpiritum renovantis facile eſt accommodare. An enim & illa tenebras noſtras non illuminat? an in bono non firmat, & ſtabilit? an non perurget ut ſit differentia inter ſtatum perfectiorem, & vulgi perfectionem, per quam hæ aquæ myſticæ dividuntur ab aquis? Secundæ diei ejusdem tridui reſpondere poterit tertius & quartus dies creationis mundi, quando dixit DEUS: Germinet terra herbam virentem, & lignum faciens fructum juxta genus ſuum. Item dixit: fiant luminaria in firmamento cæli, ut illuminent terram: fecitque DEUS duo luminaria magna, & ſtellas. An enim ex his myſticus dies ad dignos fructus Religioſo & exempla vitæ ſanctioris per quam aliis prælucemus, non incitat? Tertia dies tridui reſpondere poteſt quinto & ſexto diei mundi creati, quando producta viventia in terra & aquis, puta reptile & volatile, & cete grandia; item animalia terræ perfectiora; denique ipſe ho-

mo ad imaginem DEI inſpirantis ei ſpiraculum vitæ: An enim dies hic vitam ſanctiorem non inſpirat & quoddam novæ vitæ ſpiraculum, tum quoad vota, tum quoad Regulas, tum quoad proximos, tum quoad cæleſtia & Divina, tum quoad quorumvis operum granditatem? Septimus verò dies mundi, qui fuit requietionis Domini, & ſanctus Domino, diei Renovationis votorum quidni reſpondeat? dies utique ſanctus, & ad quem toto triduo anima præparatur. Hactenus Genethlia Spiritûs proſecuti ſumus: ſi ſic fiant, multi imò & cæli in hac nativitate gaudebunt.

§. V.

Munera ſeu Officia Renovationis Spiritûs.

Non unum illi munus incumbit & omnino excellens; ſingula proferemus per numeros digeſta.

MUNUS RENOV. I.

In Muneribus SPIRITUS SANCTI adumbratum.

Lava, quod eſt ſordidum:
Fove, quod eſt frigidum.

I.

RENOVATIO mentis & omnis ſanctificatio tribuitur Spiritui Sancto. Hic unicuique dat affatim lucis & gratiæ, juxta cujusvis capacitatem

citatem & diſpoſitionem & neceſſitatem, dividens ſingulis, prout vult. Si friges in animo; ab eo inflammari poſtula, qui eſt ignis mentium. In tenebris es? ab eo, qui eſt lumen cordium, radium lucis poſtula. Statue te coram illo, ut mendicum & pauperem; & te donis cæleſtibus ditabit hic pauperum Pater. Statue te coram eodem, ut infirmum, & ad opera virtutis debilem; ut, qui eſt virtus altiſſimi, donum tibi fortitudinis impertiat, infirma noſtri corporis virtute firmans perpeti. Statue deniq́ue te ut diſcipulum rudem; & ipſe te docebit omnem veritatem. Quamvis autem ubiq́ue munus ſanctificationis & illuſtrationis noſtræ exerceat hic Spiritus Divinus; tamen ſub renovationis internæ triduum id potiſſimum præſtat, adeoq́ue dictæ Renovationi munera Divini Spiritûs ideo convenire videntur, quæ hîc deſcribimus.

2. Divus Leo inquit: dum per actiones vitæ hujus ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere. Nulla fœditas cordis major, quàm à nævo animi quocunq́ue. Mundities intima illud encomium requirit ut illi dici queat: Tota pulchra; Macula non eſt in te. Quid ergo? Si quandoq́ue contingit & Religioſum cor ſordeſcere; feratne ſordes in ſe quas in alio quovis non ferret? Quodſi parcitatem etiam ſordes vocari novimus; qui ſeſe DEO & proximis parcè indulget, quidni, dum ſordidis illum irreligioſa parcitas inſcripſit, nomen ſuum inde non quantociùs emaculet? Emaculet omnino, & Spiritûs

Sancti munus obiens lavet, quod est sordidum. Habet thermas in Sangvine agni, habet in Contritione & lacrymarum fonte: his adjungat resipiscentiam & ecce omnia munda illi.

3. Nemo sic laborat in anima mundanda ut Spiritus Christi. Hic eam primò salubriter exterret: hic deinde suaviter invitat ad cordis munditiem: tum per actus supernaturales disponit, odium vitæ deterioris ingerit, per synderesim ab illa revocat, in peccandi occasionibus cor stabilit & confortat; denique satagit, ut juxta Christi Verbum homo sit mundus totus; nam etiam minima noxa contristat Spiritum Sanctum. Viderit ergo quisque, quid illi, dum Spiritu renovatur, incumbat. Spiritus Divini morem teneat; nec id tantùm mundet, quod deforis est; nec cor ex parte tantùm, sed sit mundus totus; nec minimas abhinc in se labes ferat. Nota inhabitantis Spiritûs Sancti sit, si vel minimæ illum ut Christi Spiritum, teste Divo Basilio, contristent.

4. Aliud munus circa animas tribuitur Spiritui Sancto in iis verbis: Fove, quod est frigidum. Idem munus renovationi sacræ convenit. Frigus animæ est, cùm refrigescit charitas: frigus, dum torpor animum incesit. Duplex adhuc frigoris notio huc deservit. Prima ex Aristotele, qui ait frigus congregare heterogenea, disgregare homogenea. Unde si dissona, si dissentanea Statui, officio, personæ, loci sanctitati quis arripit, iisque insuescit; at verò consona iisdem detrectat & refugit, frigus id animæ dixeris, homogenea seu consentanea, naturæ illius status

tûs

tûs ſegregans; difformia eidem aggregans. Secundò ad frigus animæ reducitur eſtque illi vicinus ſupinus tepor. Quare ſi quis ſic friget, ad focum ad ignem accedat, ibique de more SpiritûsSancti foveat, quod eſt frigidum. Trahat novum calorem è meditatione, trahat ab exemplo, trahat à ſacra lectione, trahat è ſacrificii calente victima, &, quo ibi paſcitur igne DEO; trahat etiam ignem ab igne vel purgatorio, vel æterno, trahat à conſortio ferventiorum DEI Servorum, ut è conſortio Sermonis Domini ſplendida facta Moyſi facies, traxit lucem à Luce increata.

Alia tria Renovationis MUNERA.

Riga, quod eſt aridum: ſana, quod eſt ſaucium: Rege, quod eſt devium

I.

ADhuc alia Spiritûs Sancti munera imitatur interna Renovatio. Imprimis Rigat arida. Multiplex cogitari hìc poteſt ariditas; ſi prout in montes Gelböe nec ros, nec pluvia cadat deſuper, adeoque DEUS prohibeat nubibus dare rorem ſuper terram, omnia exareſcent. Præterea terra appellatur in Scripturis arida. Qui ergo terrenus eſt, aut terrena ſapit, facilè areſcit. Illa enim bona ſemen-

ris cadens in petram, aruit; quia non habebat humorem, insuper & humida ſiccantur æſtu nimio, aut dum accedit ventus urens. Viderit ergo, qui animum renovat, quæ cauſa ex prædictis ariditatem illi induxerit. Viderit ut opportunè riget arida. Sæpe id obedientia effecit ut trunci etiam aridi ex alluvie, quaſi obedientialiter vireſcerent; ſed quod illa aliquando; hoc Renovatio, facere poteſt ſemper, ſi ritè officio Spiritus Sancti fungatur. Qui areſcit, humore indiget. Humor hic eſt pinguedo illa ſpiritus, quæ facit, ut promptè, hilariter, devotè cum guſtu virtutis, & imperati negotii res gerantur. Aliàs exſicca ſunt omnia, exſucca & arida actio. Humorem ſubminiſtrat Renovatio per calcar novum ad omnia ritè peragenda: dant eundem Fontes Salvatoris tunc aperti tum alibi, tum in meditatione Divinorum & Sacramentis: dant tunc & alloquia ducum animæ, qui velut imbres mittunt eloquia ſapientiæ ſuæ, & humectant arida: Et quæ fuit arida, erit in ſtagnum (ut ait Propheta) & ſitiens in fontes aquarum.

2. Alterum munus Renovationis, Sanare, quod ſaucium. Non unum vulnus patimur. Abſit lethale, vel quod ad mortem ſenſim diſponat; tamen alia plura ſuperſunt. Aliud vulnus in mente ac intellectu per ignorantiam ſalubrium, vel cogitatus malignos; vulnus aliud in memoria per oblivionem æternorum, vel memoriam obliviſcendorum. In ſenſibus externis tot vulnera, quot abuſus: in ſenſu interno, atque appetitu iraſcibili & concupiſcibili

ſcibili vulnera tot, quot adhuc effrenes & indomitæ paſſiones. Conciſus es vulnere ſuper vulnus: ſint ſanè aliqua levia; ſufficit cordi leve vulnus. Per capillum Origenes intelligit quosvis actus, cogitatus, & ſermones; & tamen capillus hic vulnus infligit. Unde dicitur: Vulnerâſti cor meum in uno crine: quid cùm tot alii crines ſauciant. Non eſt opus Æſculapio; Renovatio ſanat hæc vulnera: Pæonius Medicus eſt Verbum, & ejus Sangvis, ait Clemens Alexandrinus. Fuit autem Pæonius adeò medendi peritus, ut Plutonem etiam ab Hercule vulneratum ab eo ſanatum Poëtæ comminiſcantur. Præſtò hoc Verbum habet velut Pæonium medicum Renovatio, præſtò ſangvinem ejus, quo ſanet, quod ſaucium. Item ſanitas in pennis, quatenus penna contemplationem Divinorum juxta Gregorium ſignificat: hâc verò pennâ ſatis utitur Renovatio; quidni igitur ſanet? Deniq; illa urget ſaucios ad umbram Petri, id eſt, Sanctorum patrocinia: adhibet ſacra vulneri fomenta à ſanctioribus motivis, à mediis practicis tunc præſcriptis; adhibet medendi peritos, & ſanat, quod eſt ſaucium. O Sana me, & ſanabor! Salvum me fac & ſalvus ero.

3. Etiam regere, quod eſt devium, Renovationi convenit. De quibusdam conqueritur Pſalmus: Erraverunt ab utero, ubi vel ii juxta Bellarmini ſententiam intelliguntur, qui vix in lucem editi, à recto tramite, à via veritatis deflectunt; vel qui initio vitæ ſanctioris, optimis inſtructi documentis, aliquamdiu illa exercuerunt, tandem ab iis defecerunt; h

errant ab utero. Sed non unus hic error contingit, at multiplex contingit deviatio à recta via ad dextram & sinistram; nempe vel à fine, vel à rectis mediis, vel à via mandatorum & consiliorum, vel per mollia viam carpendo, vel per quædam aspera, ubi lapides sunt offensionis, & petra scandali. Denique aliquis deviat à perfectione statûs, ab obligatione officii; nec se interrogat: Quò vadis? Quid hìc renovatio? regit devios errones, & in viam meliorem reducit. Reducit novo lumine errorem detegendo: reducit refellendo dictamina, quæ de recto tramite deducunt: reducit ab illa illusione liberando, ob quam aliqua via videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad ultimam perniciem: reducit in viam, quæ est Christus, nam deviat, qui ab hac via deviat & recedit.

Aliud MUNUS Renovationis Proprium HIEREMIÆ.

Constitui te, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Jerem. 1.

I.

PRæter officia Divini Pnevmatis, etiam Jeremiæ munus quadrat Renovationi. Sed qui debet præstare, quod Jeremias, sit aut esse contendat veluti

Jeremias

Jeremias in utero sanctificatus. Ipsa Renovatio est veluti uterus, in quo novus concipitur spiritûs fervor: hìc ergo sanctificare, qui renovaris. Gemat idem Jeremias super murum filiæ Sion dissipatum, seu super lamentabilem statum animæ. Viderit idem Virgam Domini vigilantem super se, aliaque plura ex ejus Prophetia nota.

2. Duplex Jeremiæ munus in verbis initio propositis, à DEO fuit impositum. Primum situm est in exclusione, vel diminutione malorum: alterum in molitione vel plantatione bonorum. Ad primum quatuor illa referuntur: Evellas, destruas, disperdas, dissipes: ad secundum spectant illa: Ædifices, Plantes, Nempe reprobare malum, & eligere bonum, summa perfectionis est. Idem Renovationi Spiritûs incumbit utrumque, ut & evellat, & ædificet. Quatuor autem mala sunt, contra quæ agere debet. Evellat habitus pravos modis congruis prævisis; imò & vitiorum radices prudentis est evellere. Destruat mala inveterata & nova, puta, vitia & peccata per pœnitentiam ac resipiscentiam: destruat idola mentis & affectuum: Disperdat, quæ animo sensim irrepunt pestes: Dissipet impedimenta virtutis, constantiæ & profectûs.

3. Quoad alteram partem muneris Prophetic in bonis curandis sitam; ædificet, non ligna putrid in ædificium adhibendo, sed cedrum & cyparissu arbores immortales: ædificet in Petra, non in aren ædificet, & nihil alterâ manu destruat: ædificet, peri non paleam, non æs aut ferrum; sed auru & lapi

& lapides pretiosos subministrando: deniq́ue ædificet Civitatem illam, quam, ut ait Augustinus, ædificat Amor DEI usque ad contemptum suî. Item plantet arbusta fructifera, & cedros DEI: plantet, ut Paulus dicens: Ego plantavi; velut DEUS, qui plantavit paradisum voluptatis: deniq́ue plantet meliores plantulas, quàm hactenus. Nam de quodam dicitur: Transivi per agrum hominis pigri; & repleverunt eum spinæ & urticæ. En munus Jeremiæ, in quo desudare debet Renovatio.

Quod si hic Jeremias non inveniat pœnè mala, quæ tollat, sed potiùs bona reperiat plura, vel pauciora; ad illum pertinebit, ut bona Domini sui meliora reddat. Ita enim etiam terreni fundi Dominis faciunt usufructuarii; quin & Domino Cæli idem præstetur. Porrò bona spiritus meliorandi modum præscribet Renovatio & Sanctorum industriæ, eorum libris & exemplis indicatæ: illuc te remitto, Jeremia; nec lumen cæleste tibi quoad hoc deerit, nisi illud extingui patiare.

Aliud MUNUS Renovationis, Proprium Præcursori Domini JOANNI BAPTISTÆ.

I.

A Deo multiplex magnorum munus obit sanctior mentis Renovatio: Etiam Divum Præcursorem Domini æmulatur. Sed qui hoc munus in suî

Renovati-

Renovatione occupat, etiam hic ad aliud munus se disponat, ut ſanctus hic Præcurſor ad idem diſpoſuit. Quatuor excellentias illius ſit ſatis innuere, & ad illas contendere. Prima, quòd eſſet Lucerna ardens & lucens. Secunda. Quòd amicus Sponſi, id eſt, Chriſti. Tertia. Quòd magnus coram Domino, & quòd illo non ſurrexit major. Ratio autem Algeri eſt: Quia etſi alii plùs aut diutiùs egerint, nemo tamen illo ferventiùs. Quarta. Quòd Angelus in carne fuerit juxta illud: Ecce ego mittam Angelum meum. Imitare Præcurſorem, qui munus Præcurſoris imitari fatagis.

2. Munus Divini Præcurſoris fuit illud, quod Divus Lucas deſcribit: Primò. Multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum DEUM ipſorum. Secundò. Præcedet ante ipſum in ſpiritu & virtute Eliæ. Tertiò. Convertet corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum. Quartum Munus illius. Parare Domino plebem perfectam; dehortari ab injuſtitia, illud ingeminando: Non licet. Ex his patet, quid Renovationis interſit, ſi munus Divi Joannis exerceat. Ubi quædam advertet ipſi renovando procuranda propter ſeipſum; aliqua etiam propter alios, maximè ſi ad illum etiam cura animarum ſpectet, vel zelus earundem.

3. Juvat & Orationem audire, quâ uſa eſt Vox clamantis. Nam orationis materia eſt Renovationis negotium. Ait ergo: Dirigite viam Domini; rectas facite ſemitas DEI noſtri: Omnis mons & collis humilietur; Omnis vallis impleatur, ſint pra-

va in directa: sint aspera in vias planas. Qui hæc omnia ritè curavit, sanctè jam renovatus est, ut ergo sit, curet illa; & sic non ex vano munus Præcursoris, Renovatio hæc occupabit.

Aliud MUNUS Renovationis Divinum.

Renovare omnia. Nova facio omnia. Apocal. 21.

I.

UBi inveterata omnia, quidni omnia renoventur? Malè consulit intimæ venustati, qui partitò sese tantùm renovat. Deformitas est, ubi Difformitas: at ubi aliqua corriguntur, cæteris cum vitio relictis, tot ibi difformia, quot sic relicta melioribus intercurrunt. Quibusdam immutatis, intactis aliis, quæ eodem beneficio mutationis eguerant faciliùs agnoscitur vitium reliquorum. Ut inter auri sparsa hinc illinc ramenta rudis metalli noscuntur facilè intervalla. Bonum quoddam est Renovatio, at si est ex integra causa. Nam vitium singulorum, boni cognomen temerat imò adimit; cùm totum corrumpant singula mala. Non minus turpe est, partem parti, quàm partem esse difformem toti. Denique par omnium est ratio, quæ primum nitorem amiserunt; quid ergo seligas corrigenda? Qui se ex parte tantùm innovat centones in animo gerit, & nova quæ

va quædam assumenta. Ergo si sapis, nova fac omnia, ne recentium venustati, plurium officiat vetustas.

2. Nova sint omnia, monet Ecclesia in Festo Theophoriæ. Jure id tunc exigitur, quia festi & pompæ sacræ solennitas id requirit. Imò non intus duntaxat, sed quia tunc DEUS fora obambulat, & inter homines hospes visitur, omnia itidem componuntur, ut transeuntem per vicos DEUM insignior excipiat apparatus. Quasi quædam sacri Ferculi injuria esset, ferri per aliqua obsoleta. Semper id Festum agitur, ubi usus SS. Eucharistiæ quotidianus, aut creberrimus. Christophori ac Theophori tunc efficimur ut semper, velut in Festo Theophoriæ par sit nova esse omnia; ne mundius sit sub illo Festo forum, quàm pectus, quod idem subintrat hospes. Ut omittam, quòd præter id Festum, plura alia supersint universalis hujus sanctæ novitatis incitamenta, & ipsum Renovationis Semestris Nomen.

Quæ autem nova omnia ibi Ecclesia requirit? Audi canentem: Nova sint omnia: Corda, voces, & opera. Id quidem renovare sufficit; sed explicatius hìc ponam singula renovanda tum intra, tum extra. Quæ quidem dupliciter partior; nimirum in motiva vitæ sanctioris recolenda; deinde ea, quæ in particulari vitam sanctiorem constituunt, & renovari postulant.

Quoad primum: Renovanda sunt imprimis vitæ melioris & vocationis sanctitati congruæ motiva: hinc enim primus calor, hinc perpetuandus fervor. Imò ferè oblivio motivorum facit, quòd post

crebras

crebras etiam Renovationes aliquis ad priora vitia rursum redeat. Certè quæ semel moverunt efficaciter, poterunt semper. Non enim minor eorundem motivorum est bonitas & æquitas nunc, quàm anteà. Si primi fervoris causa DEUS, ac DEI dignitas fuit; si DEI amor timorque; semper est idem DEUS & magis adhuc nobis per nova lumina & gratias innotescit. Unde si primò cognitus movit ad suî cultum ferventem, ad ardentiorem amorem; multò magis nunc inter tot augmenta gratiarum & luminum movebit. Motiva ergo renovandi fervoris in obsequio DEI, & studio virtutis refricanda, tum à ratione Divini servitii petita, & ultro susceptæ obligationis; tum à ratione status; tum ab aliorum exemplis, tum à Conscientiæ synderesi, tum à magnitudine præmii &c. &c. Et prima, quæ illum convicerunt olim, aut suaviter impulerunt, in mentem revocanda; & nova inquirenda.

Quoad Secundum. Plurima sunt, quæ sub Renovationis internæ materiam cadunt. *Primò.* Renovandus est omnis peccati horror, ex motivis æternum ejus horrorem incutientibus, longè majorem, quàm sit ille: Malo mori, quàm fœdari: vel, malo præmitti in infernum, ut ille sanctus Senex Eleazarus dicebat. Hinc *secundò.* Renovandum Puritatis quintuplicis Studium; nempe à peccato gravi & levi; ab imperfectionibus non attingentibus etiam culpam venialem; ut sunt passionum primi motus præcurrentium rationem, aliquarum legum transgressio non obligantium sub peccato; item purita-

tis quoad intentionem, & à reatu pœnæ. *Tertiò.* Renovandus amor instituti & Regularum ex motivis infrà afferendis. *Quartò.* Renovandum studium solidarum virtutum, quæ hic etiam seligendæ. *Quintò.* Renovandum studium perfectionis operum ordinariorum juxtu Industrias Druzbicianas, aliasque tum proprias,tum alienas. *Sextò.* Renovandus amor crucis & adversorum, ac continuæ mortificationis. *Septimò.* Renovatio procuranda Divinorum, diviniùs transigendorum, & studium orandi. *Octavò.* Renovandus zelus, quoad illas proprietates; ut primò zelet super seipsum, seu non ita curet alios, ut seipsum negligat: ut sit zelus universalis, zelus sincerus & purus, quoad Intentionem non se suaque quærens, sed purè animas, & quæ JESU CHRISTI; Ut sit zelus exemplaris, zelus cum DEO conjunctus, zelus laborum appetens, amansq; circa animas, longanimis, magnanimus, vigil, inter successus humilis, prudens &c. *Nonò.* Renovanda conversatio: Usi & usus lingvæ, aliorumq; sensuum externorum. *Decimò.* Renovanda pacta cum DEO & Cælo; pacta amicitiæ, & subjectionis Divinæ: Juravi & statui custodire judicia Justitiæ tuæ. *Undecimò.* Renovanda, in quibus se aliquando sanctè exercuit & exercet, vel non; inter quæ est cultus MARIANUS insignior, studium juvandarum animarum, &c. *Duodecimò.* Renovandum Cæli gaudium, quod habet super unoquoque Pœnitentiam agente, & sæpiùs dicit: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quæ

perierat. 13mò. Utiliter renovabis memoriam monitorum sancti Nostri Patriarchæ IGNATII, quæ his versiculis Poëta comprehendit.

Nulli vel minimo quâvis ratione repugnes:
Cedere te potiùs, quàm superare jubet.
Obsequium studeas præbere per omnia cæcum:
Judiciumq; libens, subjice cuiq; tuum.
Quidquid agas, dicas, mediteris, prospice finem;
Proximo an expediat, num placeat ve DEO?
Sit tua Spiritui libertas semper; & illum
Nec persona potens, causa nec ulla gravet:
Nec facili jungas tibi consuetudine cunctos;
Spiritus ac ratio, quemlibet ante probent.
Exerce assiduò pia mente & corpore facta. &c.

Hæc ergo, quæ renovanda hic monuimus, coram DEO & curiâ cælesti renova; & tuis mediis diffisus, auxilia deposce.

§. VI.

Reliqua Monita Renovantis Spiritum.

Prædictis adhuc tria monita adjungo, quæ Renovaturo Spiritum, videntur fore proficua.

MONITUM I.

Insuesce de novo Cogitationibus Sanctis.

1. DEUS

I.

DEUS Inſpector cordis; & proprium eſt illi, nôſſe ſecreta cordium; unde illi dicitur: Tu ſolus nôſti corda Filiorum hominum. Alia multis ſunt propalam; vident illa homines, vident Angeli boni & mali; vident aliæ creaturæ: cogitationes & affectus cordium ſunt ſub clave ſolius DEI, ſuntque Divini oculi objectum, cui ſoli dant ſpectaculum. Sapit omninò, qui tantum Spectatorem ſanctis cogitationibus oblectat! Inſanit è contra, qui indigna hoc oculo mente agitat, & informi objecto pupillam DEI ferit.

2. Radix boni vel mali moralis eſt etiam cogitatio; vel actus intellectûs prævii ante actum voluntatis bonum vel malum moraliter; eò quòd in præcognita fertur voluntas. Quare cogitatio eſt velut ſcintilla, ex qua incendium, & voluntatis inflammatio, in alterutram partem; Eſt velut Dux ad bonum vel malum: veluti fax ad idem prælucens. Quidquid boni videris, vel audieris; cogitatio congrua ad illud præluxit. Mala etiam nollet voluntas, niſi cogitatio bonum apparens objiceret. Quare cùm ita à cogitationibus ſanctitas vel malitia operum dependeat, colliges, quantùm ad internam Renovationem conducent cogitationes ſanctæ, ſeu mens utiliter, & ſanctiùs occupata.

3. Tanti ſunt cogitationes ſanctæ, quas deinde pia affectio ſubſequitur, ut earum DEUS Auctor à Paulo dicatur. Non ſumus, inquit, ſufficientes cogitare aliquid ex nobis; ſed ſufficientia noſtra à

DEO

DEO est. Sunt tamen aliquæ cogitationes sanctæ, à solo DEO nobis primùm injectæ; aliæ quæ ex præscripto, vel ex piâ consuetudine assumuntur & spontè accersuntur, vel exigente id opere, quod tractamus; vel quia utilitas earum est cognita, quæ animum meritis & augendo Divino gustui inhiantem ad illas sæpiùs perurget. Et de his secundis cogitationibus sanctis hìc agimus. Pulchrum est illis insuescere, tum ex dictis jam motivis, tum ex illis, quæ dicta sunt in Face Ascetica, sub titulo: Occupari interiùs. Nempe hæc illa laus est excellentis cujusdã animæ: Omnis gloria Filiæ Regis ab intus: Illa sanctorum gloria: cogitatio eorum apud Altissimum esse dicatur: Illa post alios, Beati Aloysii; cujus ingens in cælis gloria cuidam revelata est indè profluxisse, quòd operabatur interiùs.

4. Quoad Praxim hujus doctrinæ attinet, non unus modus præscribitur. *Primus* est facilis, si cogitationes sanctæ, actioni seu negotio ac operi, quod peragimus, accommodæ accersantur seu proportionatæ. Sic culinæ focus Beato Stanislao Kostcæ fuit accommodæ cogitationis occasio de Igne Purgatorio. Sic in Sacerdote Oblatio Panis in missa, accommodè junget internam oblationem sui ipsius: Ibidem, Confiteor DEO omnipotenti, aptè sibi adjunget contritionem: in Psalmis affectus inclusi, tuos similes provocabunt: inclinatio humiliationem, &c. *Secundus* modus, si multiplex cogitatio & affectio sancta excitetur in singulis, vel saltem quibusdam operibus, prout erunt illarum capacia,

pacia. Hæc verò cogitatio & affectio vel erit gratitudinis, vel confusionis tuæ, vel postulationis, vel alicujus considerationis aptæ, vel oblationis, vel desiderii. V.g. vestem induendo, gratitudo pro vocatione elici poterit, confusio tuî, quòd te fortasse non sat dignè hâc veste geras; postulatio gratiarum vocationis & perseverantiæ, oblatio tuî ad omnia, ad quæ te resolvisti, cùm vestem hanc Religiosam primò indueres, &c. Et sic de aliis actionibus. *Tertius* modus ex Scripturis sententias, vel ex Patribus reducendo in memoriam illi rei & operi congruentes, vel quoquo modo affectui deservientes. V.g. Dum lumen accendis, occurrent sententiæ sacræ de Igne, de Luce: Illumina tenebras meas: Et: Tu illuminas lucernam meam: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: DEUS lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ: ô ignis, qui nunquam extingueris! Accendat in nobis Dominus ignem æternæ charitatis: Illuminare his, qui in tenebris sedent: Sedentibus in tenebris lux orta est eis: ut Filii lucis sitis: Lucernæ ardentes in manibus vestris &c. &c. & sic de aliis intellige actionibus. Nam ante mensam illud occurreret: si Dominus dederit mihi panem ad manducandum, erit mihi Dominus in DEUM; vel illud per oppositum: Nolite me constituere Principem, quia in domo meâ non est Panis: Christo contra dicendum. Fel & myrrhatum vinum oblatum Christo. Occurret mensa Christi & communio &c. *Quartus* Modus per Renovationem Intentionis sanctæ; per Renovationem præsentis DEI

memoriæ: per Renovationem votorum: per Renovationem propoſitorum, tum hodiernæ meditationis, tum aliarum: per actus internos variarum virtutum, maximè volendo omnia agere ex amore & latria erga DEUM, & hyperdulia MARIANA: volendoque quemcunque actum & momentum eſſe ſubſtitutum pro quovis actu virtutis tibi congruæ, vel actu placitisſimo Divinæ Trinitati; illudqve tuum opus & momentum quodvis volendo eſſe ſignum & actuale exercitium omnigenæ virtutis: Item per aſpirationes varias pro te aliisque: Item actus interni compenſativi offenſarum DEI tot per orbem: vel agonizantium nunc & tentatorum, aut zelatorum, commendatio renovanda: vel per actus internos ad B. V. M. & SS. recurrendum. Modus hic latior eſt, & capacisſimus meritorum. *Quintus* Modus. Per actus internos correſpondentes, quadruplici ſenſui Scripturarum, Tropologico, Allegorico, Anagogico, Literali; ſi actus hi fiant ductâ occaſione à rebus viſis, vel auditis, vel lectis, vel contingentibus, aut ſubitò incidentibus. Sic ex aſpectu floris cujusque rapiebatur, in amorem pænè extaticum Creatoris ſanctus Noſter IGNATIUS; nimirum pulchritudine creatâ ad increatam Allegoricè translatâ. Sic ex aſpectu horti amænioris, translatâ cogitatione ad delicias cæleſtes, eſſet quid anagogico ſenſui reſpondens: ex mensâ lautiori ad delicias convivii Euchariſtici; vel ad famen damnatorum, ad egenorum

tot commiſerationem, qui fame enecantur; vel ad convivium cæleſte Beatorum, ubi inebriabuntur omnes ab ubertate domus DEI, translata cogitatio dictis ſenſibus reſpondebit. Excellens hic modus, & illuminatarum animarum, plenusque ſacræ voluptatis. *Sextus* Modus eſt, ſi actionem præcedat præmeditatio, prævíſio agendorum, & fugiendorum in actione, & modi retinendi in eadem cum majori decoro, merito, &c. In ipſa verò actione reflexio fiat, tum ad exigenda illa, quæ quis ante hic ſibi præſcripſit; tum ad ritè, ut res exigit, agendum; tum ad alia in ſuperioribus modis inſinuata ſuaviter exercenda. Demum poſt illam actionem ſuccedat breve examen illius, oblatio ejusdem actionis; & deprecatio, ſi quæ intercurrit, imperfectionis compenſativa actu aliquo ſanctiore interno, aut externo. *Septimus* Modus per ſimilitudines, comparationes, imaginationes, oppoſitiones ſacras ex objectis, & operibus, vel occurrentibus ductâ occaſione. *Octavus* Modus. Per exercitium earum cogitationum ſanctarum, quæ quis ſingulis actionibus de induſtriâ præfigit, incipiendo à ſomno. Quare qui eſt induſtrius cæleſtis Negotiator, id aliquando pro argumento meditationis, vel piæ reflexionis aſſumat, in qua adinveniat congruas ſingulis actionibus cogitationes ſanctiſſimas.

MONITUM II.

Ad Regularem Observantiam Instituti de novo accendere.

I.

ETiam Regularis observantiæ amorem inducere majorem, internæ est Renovationis. Nempe votorum observantiam ipsa gravitas obligationis seu voti Religio animis imprimit; at instituti & Regularum vel consuetudinum suæ Religionis facilior esse potest apud eos transgressio, quibus tantùm gravis obligatio curæ est, seu qui tantùm inquirunt: Quod est magnum Mandatum in Lege? sed tamen quò minus est, tantò magis illud à servis objectum Naamano occurrere deberet: Etsi rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debueras; quantò magis, quando dixit tibi, Lavare septies, & mundaberis. *S*ed quibusdam scandalum parit legis exiguitas, sicut & lex Divina iis, qui non sunt ex illorum numero, de quibus dicitur: Pax multa diligentibus legem tuam, Domine; & non est illis scandalum. Ita lex exilis, non paucis est scandalum, quòd ejus neglectum aut contemptum facilè pariat ipsa illius parvitas, vel obligatio sola amoris, non timoris ob delictum, sub quo lex illa non præcipitur.

2. Sed si peccatum hi timent, facilè hìc interveniet, si ex suâ transgresione, instituti dissolutionem vel laxationem Religiosæ disciplinæ & observantiæ in aliis

in aliis sequi videant: tunc enim ratione hujus damni Religionis potest peccari mortaliter, etiam Regulas non obligantes sub peccato ullo, transgrediendo, ut docent Theologi apud Layman. Quare Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus,& pereatis de viâ justâ; si qui sic damnificatis cœtus sanctos. Adhæc si ad obligationem tantùm attenditur; etiam hîc illa adest. Certè Justitia legalis obligat velut partem toti, Civem suæ Reipubl., illique non sinit esse difformem. At juxta Philosophum 5. Ethic. cap.1. Justitiæ legalis est, id, quod lege sancitum est: *Primò* juxta eundem, hæc justitia est virtutum complexio, quatenus legi patriæ obtemperat. Adhæc promissio acceptata obligat; at quilibet, dum Institutum amplectitur, ultro promittit se ejus legibus victurum ac pariturum. Præterea Regulæ & Instituti leges ac ordinationes vim superioris obtinent, suntque interpretes voluntatis Prælatorum, qui eas condunt,& observari volunt; Unde earum observatio & transgressio ad obedientiam refertur; quid autem Religiosum obligat, si non Majorum imperia & præscriptum obedientiæ? num hîc etiam qui potestati resistit, DEI ordinationi non resistit? Insuper pleræque Regulæ, voti rationem attingunt, vel ejus perfectionem; quid verò? an votum non obstringit, & obligatio tendendi ad perfectionem, quæ in Statu Religioso essentialiter includitur? Denique infirmæ virtutis est, ad ea tantùm attendere, quæ gravius obligant; & nescio, an huc illa comminatio trahi queat: Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operan-

tibus iniquitatem: nimirum hi facilè iniquitatibus involvuntur, qui parva negligunt, & tantùm ad obligationes graves attendunt. Certè parvis etiam rebus magna mala vel bona dependent, vulnerâsti in uno crine.

3. Leges Religiosæ variæ appellantur. Alii vocant scalam Jacob, per quam descendentes & ascendentes Angeli visi. Quælibet Regula potest esse gradus scalæ cælestis; ut in scala alii gradus humiliores, alii altiores; ita in Regulis aliæ minores, sublimiores aliæ; omnes autem ducunt & desinunt in Cælum. Alii vocant Epistolam à DEO missam, sicut & sacras literas vocat Gregorius Epistolam omnipotentis DEI (ubi etiam sunt leges Divinæ majores & minores) ad suam creaturam, hinc patet, quantum pretium hujusmodi legum esse deberet. Certè Japoniæ Imperator, Chinensis Regis literas purpureâ sellâ Regis repositas, quadrigis Regiis delatas esse voluit, primatibus circumstantibus. Sed vereor, ne hìc quis objiciat cum Chrysostomo: Itane si à Rege quispiam missus veniat, recipitur & auditur; à DEO autem si veniat, nullus est qui attendat? At nostræ Regulæ quidni Epistola DEI censeantur, siquidem de illis dictum à Pontifice: Digitus DEI hic est, quo scriptæ.

4. Gentes etiã barbaræ ac inanimata, exémplum nobis observantiæ legum præbent. Gentium leges varias novimus, quas quia vinculũ Reip. esse nôrant, & ab iis salutẽ publicam dependere; etsi arduæ etsi sangvinariæ essent (ut erant leges Draconis Atheniensis

ensis) colebantur. Inanimata vide: Stellæ vocatæ, dicunt: Adsumus. Mari tempestuoso dictum: obmutesce; & siluerunt fluctus ejus, non sine hominum stupore; quia mare & venti obediunt ei. DEUS juxta Job legem mari præfixit; usque huc venies; & paret: Imperio DEUS contra efferum mare utitur pro freno, & arenâ re tam tenui ac molli coërcet. DEUS bone, quanta hic confusio prævaricatori legum! ibi leges Sangvinariæ observantur à gentibus; hic benigniores negligentur! Mare etiam obedit; an non dicam? Erubesce Sidon, ait mare. Sol item Josue paret, &c.

5. Quatuor adhuc Ideas accipe animatas legum observandarum. *Primò* Christum, de quo illud: In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam; DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Sit magna, sit lex minor, in medio cordis illam repono. Non veni solvere, sed adimplere: nec jota unum, aut apex præteribit, donec omnia fiant. En minuta quæque sancita à Patre in medio cordis Christi, & jota unum! *Secundò* Zachariæ & Elizabeth Elogium illud attende: Erant justi ambo, incedentes in omnibus justificationibus Domini sine querela. Sanè justi, qui in omnibus; sinè querelâ. *Tertiò.* Leges familiæ suæ Elzearius præscripsit: exesse ab illa domo voluit, qui juxta illas leges nollet vivere. At hic leges sanctiores. *Quartò.* Aldobrandescæ Senensi B. Virgo apparuit cum schedulâ, cui inscriptum: Observate Filii legem Matris vestræ. Et tu, id tibi

dictum puta; vel illud cælitus dictum de Regulis S. Francisci: Ad literam, ad literam. Vide ergo Regulas tui Instituti, officii: Vide ordinationes: recole subinde & meditando revolve insigniores; omnes ad literam, quoad potes, observare stude. Puta tibi etiam à Sancto Ordinis tui Patriarcha dici: Si diligis me, mandata mea observa. Obstringe te & ex motivo illo ad observandum: Ut cognoscat quisque, quia diligo DEI vocationem & perfectionem; ob gustum DEI & gloriam majorem, sic facio; Vidi prævaricantes & tabescebam. DEUS meus erue me de manu peccatoris, & contra legem agentis.

Et qui hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos.

MONITUM III.

Seu calcar ad opera Ordinaria deinceps perfectiùs peragenda, modusq; præscribitur.

I.

DUo in actionibus ordinariis procuranda. *Primò*, ne imperfectè fiant, id est, ne obiter, tepidè & perfunctoriè, ac cum mistura imperfectionum aliarum. *Secundò*. Ut perfectè & sublimiter quoad modum operandi: seu videndum, ne quid eis imperfectionis insit; & ne quid perfectionis desit: prior, perfectio negativa, hæc positiva.

2. Quod

2. Quod attinet ad perfectionem negativam, seu non agendum imperfectè, hæc te, ad id moveant: Tum quia pulchra laus illa operis, cui dicitur, macula non est in te, vel cùm de sese qvilibet actus dicere poterit, Ero immaculatus coram eo, id est DEO: Tum qvia contra tales justitias, qvæ imperfectæ, in judicium exurgit DEUS, de illisque intelligitur illud; Justitias judicabo: Tum quia ad bonas secundùm se actiones, sed secundùm modum imperfectas concursu omnipotentiæ & utor, & abutor; & in laudem DEI, & contumeliam ago, ex defectibus moralibus emanantem: tum qvia cultus DEI per actiones sic imperfectas est similis adorationi Judaicæ, Spinis coronanti JESUM quem cùm genu flexo adorarent, simul dabant illi alapas: tum quia imperfectio moralis facit, nè illa actio simpliciter denominationem bonæ, sed etiam malæ sortiatur; qvia bonum ex integrâ causa, malum ex singulis defectibus: tùm qvia eædem imperfectiones operum sunt fæda macula operis & operantis; qvodlibet enim malum morale omnes spurcitias alias exsuperat, & gratiam operis ac nitorem temerat, magis quàm muscæ svavitatem ungventi; tum qvia tales Justitiæ in Spiritu Sancto dicuntur menstruatæ, qvod horrorem ciet: Tum qvia opera nostra sunt cibus Christi; unde ait Bernardus: Cibus ejus pœnitentia mea, Cibus meus lacrymæ meæ &c.&c. At si cibus sit veneno tinctus, vel pessimè conditus: qvis eum non rejiciat, vel palato Christi ingerat? Tum qvia si arbor sine ullo fructu virens, succidi jubetur; qvid?

an patiatur DEUS arborem venenatos etiam fructus ferentem inter aliquos non malos? Tum qvia opera nostra sunt velut sacrificia, & vocat illa Apostolus Spiritus hostias, David sacrificium justitiæ; at abominabiles Deo Victoriæ, quæ offeruntur cum scelere. Et Levit.2. dicitur: Oblatio, qvæ offertur Domino, absqve fermento erit; fermentum autem omne vitium & corruptelam operis seu oblationis indicat: Tum qvia vestem laceram nolis & centonibus deformem; & velis actionem bonam deformibus temeratam, & te deformantem? Tum quia sanctitas operum est omnimoda puritas ex Dionysio: Tùm qvia operantes, Angelis sumus spectaculo, qvi notant & acta & modum agendi vel auro, vel argento, vel atramento, vel aqvâ, prout perfectè vel imperfecte agimus: Tum quia imperfectus agendi modus vel negligens maledicti nomen tibi impingit ex Prophetâ; Maledictus qvi opus DEI facit negligenter: Deniqúe Lucius verus Imperator, etiam in rebus communibus, & politicis monebat: Nil obiter. Ergo ex tot motivis imperfectum agendi modum perhorresce. Porrò, huc etiam illi spectant, qui potiùs volunt multa agere, sed imperfectè, quàm pauca benè; quæ est mera illusio: cùm tamen sciant unum actum intensum plus coram DEO valere, quàm remissos ter mille.

3. Non sufficit, ut non agas bonum malè, sed etiam bona benè, Sancta & Divina, Sanctè & Divinè; seu ut nihil perfectionis desit operi, qvod ex auditis, vel lectis, doctrinis sacris, vel idea perfectissima, vel

ex lumine Divino cælitus hauſto, ex exigentiâ operis & circumſtantiarum,ex induſtriis ſanctè ingenioſis poſſit actio deſumere. Ducit nos ad id Scriptura, qvæ jubet agere ex toto, ſeu de dilectione DEI agat, ſeu laude & fide: Item monet pſallite DEO, pſallite Regi noſtro, pſallite ſapienter: Ubi tùm diligentia: & applicatio inſignis inculcatur; tum etiam ingenioſæ, ex ingenio nimirum Amoris depromptæ adinventiones ſublimandorum operum: nam alibi dicit. Dicite juſto, qvoniam benè; fructum adinventionum ſuarum comedet: & thronum reponere Divinum ſuper tales ſapienter pſallentes ac operantes dicitur DEUS; Qvi ſedet, & ſuaviter quieſcit ſuper Cherubim; & adhuc alibi ait: Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis (in rem & majorem DEI guſtum) interſum cogitationibus. Præterea Divinus Spiritus huc impellit monens: In omnibus operibus tuis præcellens eſto: Juſtè; qvòd juſtum eſt, exeqvêris. Deinde operibus noſtris promittitur corona juſtitiæ; æquum verò eſt tendere, qvoad licet, ad æqvalitatem mercedis operi: qvia verò merces erit magna nimis, Tu etiam mandâſti, mandata tua, DEUS, cuſtodire nimis. Item per bona opera juſtorum, quædam Chriſto merces rependitur; an ejus Charitas nimia non meretur modum operandi & remunerandi excellentisſimum? Etſi omne hìc noſtrum nimium, ſit reſpectu meritorum CHRISTI parum! Inſuper opera noſtra ſunt exaltatio, glorificatio DEI, expletio guſtûs Divini; qvalem ergo operandi modum par hìc adhibere, vel

qvalem non meruit Dignitas & Excellentia DEI, ob qvam dicitur: Glorificate eum, qvantumqve potueritis; supervalebit adhuc! omitto alia motiva. Porrò de applicatione totarum virium & diligentia in Divinis illud juvat addere dictum Cornelii à Lapide respondentis ad id; cur Nabuchodonosor Rex post somnium illud de Statua mirabili convocârit sapientes, ariolos conjectores: Qvia somnium illud erat à DEO, & de re Divina; ideò tanta diligentia in eo enucleando: Habent enim hoc etiam Divinorum umbræ, ut excitent, ne ulla diligentia omittatur. An te in Divinioribus non præstet esse solertiorem?

Perfectio operum Negativa, & Nævi operum.

PErfectio hæc postulat, ut nævi quidam operum devitentur. Sunt autem hi:

Primus nævus est, & qvidem omne meritum operis tollens, si hoc peragatur non in Statu gratiæ; nam si charitatem non habeam, nihil sum: nihil mihi prodest, ait Doctor gentium.

Secundus Operum nævus est tepor fervori agendi oppositus: qvò refertur, si fiant, obiter, segniter, remissè, sine applicatione debitâ, ex frigidâ consvetudine.

Tertius. Si intentio non sit satis defæcata, nec sublimis, vel sit cum quæsitione nostri, vel boni creati, sine

ti, ſine ordine ad DEUM; Si ad oculum, ad oſtentationem, ſtudio vanitatis & vanæ gloriæ.

Qvartus. Si opus quodcunqve de ſe bonum permiſceatur multis imperfectionibus, tum cuilibet operationi familiaribus, propriisq; tum etiam communibus; qvalis eſt inter alias, operari non integrè, feſtinatè, curſim.

Qvintus eſt agere irreflexè, nec præconſideratè anteà qvoad finem & media modumqve perfectè operandi, nec imperfectionibus prævisis, ut vitentur; item irreflexè inter operandum & pòſt.

Sextus. Remiſſio agendi in curſu, cum cæperis bene currere: ſeu inconſtantia virtutis.

Septimus non curare agere cum differentia virtutis & perfectionis à ſecularibus, aliisqve qvibus minus ineſt lumen & facilitas, & ſæpe eadem eſt illis & tibi communis actio.

Octavus Complacentia in bono opere, & qvidam hinc mentis tumor ac faſtus, ſuiqve aliis prælatio, aliorum, poſtpoſitio.

Nonus. Nævus eſt, non agere juxta lumen & notitiam ſublimandorum operum, nec adæqvatè ad habitum gratiæ viresqve: non agere perfectiùs, cùm poſſis, ex modis & operibus perfectiora eligendo. Hos ergo & ſimiles actus devita, qvi perfectionem operum negativam vis aſſeqvi.

Perfectio Operum Positiva.

MUlta hæc complectitur; nempe agere omnia (imo & pati) longè differentius à secularibus, imo & aliis perfectionem sectantibus: agere diligenter, cum omni debita applicatione, & omnibus numeris operationi, operanti debitis: agere cum intenso ardore fervoris, seu juxta ultimum posse, agere promptè, libenter, strenuè, robustè, constanter inter difficultates, pacatè, liberè, liberaliter, delectabiliter, fideliter, gratis, seu non ob præmium; agere in, & ex charitate, cum charitate elicitivè, aut imperativè: ex latria, & hyperdulia Mariana; agere cum complexione cujusvis congruæ virtutis, & perfectionis, congruè ad omnes circumstantias loci, temporis, personarum, rerum, exigentiæ; adæquatè ad lumen, ad notitiam agendi & sublimandi operis, & gratiam: agere ex voto, ex totis viribus, ex toto corde, & conatu glorificandi DEI; dignè DEO, dignè vocatione, dignè Sacerdotio; agere cum cogitationibus & reflexionibus sanctis, præmeditatò, reflexè inter agendum, cum memoriâ præsentis DEI, cum condimento aliqvo mortificationis, conformiter ad Ideam perfectiorum, ad Ideam perfectissimam, ut est Christus: agere conari Seraphicè, MARIANE, qvasi Theandricè: agere intentione purâ & sublimi, nempe spectando unum, qvod est DEUS & DEI Gloria summa: ejusdem voluntas & appretiatio, studio illi placendi, exaltandi DEUM super omnia, ob ejus voluntatis & beneplaciti adim-

pletionem

pletionem, guſtûs Divini recreationem, Bonitatis dilectionem, Dignitatis æſtimationem, in proteſtationem & adorationem ſupremi illius Dominii & noſtræ ſubjectionis & dependentiæ ab illo; in honorem & ex amore verbi Incarnati, & omnium ejus erga nos dignationum; in honorem & ex amore Divinæ Parentis, & ſanctorum cælitum; in gratiarum actionem pro beneficiis, tum illis, tum nobis, & cuicunqve præſtitis, ac præſtandis; in compenſationem tot offenſarum DEI per orbem, & ſatisfactionem pro illis; ad impetrandas varias gratias, ac ut ceſſent ſaltem in plurimis ac in te imprimis delicta; & ad alias ſanctas Intentiones: Item agere ex motivo plurium virtutum, ex motivo diſpoſitionis tuî ad gratias varias in tempore opportuno, v.g. ad S.S. Euchariſtiam & Sacrificia, ad ſanctisſimam mortem, ad animas quàm plurimas adjuvandas: agere cum majori ſemper conatu, & intenſione ſingularum partium actionis: agere in perſona & ſuppoſitis omnium Creaturarum, & ponendo ſeu ſubſtituendo hanc actionem loco omnium, qvæ DEO unquam, in qvopiam placuerunt placebuntqve; item ſupplendo per illam omnes tuos alienosque defectus, vel omiſſiones cultûs amoris, & glorificationis Divinæ; nec non retractando per eandem omnes actus malos; & volendo in qvalibet particula actionis reproducere omnes eximios cultores, glorificatores DEI, eosqve cum omnibus ſuis actibus DEO glorioſis replicando in atomis univerſi: Item agere cum humilitate, & oblivione ſui commo-

di, honoris, meriti, teporis; cum fame & conatu ad ulterius, ad amplius, ad perfectius; cum indagatione, qvid adhuc possis addere in hujus actûs exercitio DEO suavius & gloriosius; agere in unione actionum & intentionum CHRISTI, B. Virginis & sanctorum, includendo huic actui omnia, quæ alii qvicunqve simili actui, aliisque sublimandis adhiberent, vel adhibuerunt; Dignè DEI gustu, & cum summa Divini cordis contentatione; denique agere omnia & semper, ex habitu sancto, usu in naturam verso, tali alioque omni sublimiori modo, perseveranter, ac, ut addebat religiosissimus qvidam è nostris, toto te, toto universo, toto DEO, cuncti createè, cuncti beatè, omni possibiliter, omni humillimè, in æternum & ultra. Hanc ergo Methodum habe perficiendi sublimiùs tua opera, hanc recole, renova, & juxta illam opera examina.

Addo hic obiter Mensuras perfectè agendi.

Prima est Dignitas DEI, qvæ utinam inveniat actus suos dignos se. Commensura actus tuos illi: hæc tibi sit calcar ad meliùs agendum, hæc amussis.

Secunda est voluntas DEI; qvæ etsi non omnia velit à nobis fieri, vult tamen qvæ facimus fieri benè & optimè.

Tertia est Amor DEI; qvi utiqve operatur magna si est; si autem operari renuit, amor non est.

Tantum

Tantum qvisqve det, qvantum diligit. Huc refer & zelum, qvi qvantò major, tantò plura imperat exigitqve.

Qvarta est Habitus Gratiæ, & lumen internum.

Qvinta est idea Patrum tuorum, qvi præcesserunt in sanctitate & justitia; clamantque qvotidie: Ambulate sicut habetis formam nostram.

Sexta Præmii magnitudo. Ero merces tua magna nimis. Qvidni & meritum?

COROLLARIUM

Alia qvædam SANCTA NOVITAS.

I.

Novus orandi, & cum DEO agendi Modus.

VAriis affectibus & motibus in DEUM, sed non ordinariis hic modus constat; qvorum pleriqve in B. Virginem & Cœlites accendi possunt.

I. Affectus Innominati.

SUnt aliqvi Affectus, ut etiam Contractus Innominati. Nomine carent, sed non ratione sancti affectûs. Scit se tunc anima intimè DEO affici; ne-

nec laborat discernere, qvomodo affectus vel motus ille in DEUM vocetur; vel an unus sit, an plures. Verbo: hi affectus sunt, qvos DEUS approbat, etsi homo non nôrit: fiunt sine verbis etiam internè dispositis, solo affectu ardente ac expedito in qvævis ex apprehensione rara DEI, vel magnalium aut beneficiorum ejus, sui nihili & ruditatis agendi cum DEO. Primò ergo exhibebis illi omnes hujusmodi affectus, qvoscunqve DEUS approbet veluti se dignos, etsi illos non nôris ipse. Id verò potest fieri in qvavis circumstantia.

2. Sancti Affectus Scientiâ Divinâ comprehensi.

INtelligo hìc affectus, qvos DEUS novit per Scientiam visionis & simplicis Intelligentiæ ac Scientiæ mediæ; nempè à te vel à qvocunqve sanctè elicitos, eliciendos, elici possibiles, & qvi elicerentur sanctè, positâ qvâcunqve conditione vel circumstantiâ. Dupliciter hos affectus elicies. Primò cuique particulari actui virtutis alicujus id accommodando. V. g. Gratias tibi Domine & laudes pro tuis beneficiis refero, qvascunque per scientiam tuam simplicis Intelligentiæ nôsti possibiles, & per scientiam visionis exstituras vel extitisse. Similiter actui amoris Divini, & aliorum in particulari idem accommoda. Secundò idem universaliùs fiet hoc vel simili actu in qvalibet actione honesta aut etiam indifferenti; volo tibi Domine per hanc & omnem actio-

nem

nem exhibitum, qvidqvid per ſcientiam tuam Divinam comprehenſivè nôſti, ſanctè & dignè te exhibitum aut exhibendum, vel exhiberi tibi poſſe.

3. Sancti Affectus voluntate Divinâ comprehenſi.

HI affectus in eo conſiſtunt, ut qvâvis actione & momento vitæ velis actũ à te exhibitum DEO, qvidqvid illi ſecundùm ſubſtantiam & modum agendi placet juxta totam latitudinem voluntatis Divinæ & bonæ, & beneplacentis, & perfectæ: ſeu breviùs, velis, qvidqvid vult, qvia vult, & ſicut vult. Hoc eſt agere, ſicut velle me nôſti, ait DEUS.

4. Sancti Affectus, omnipotentiâ comprehenſi.

HI affectus ſic elici poterunt: Qvicunqve in omnipotentia DEI Auctoris Gratiæ continentur actus & affectus Creaturæ rationali adjutæ per gratiam poſſibiles DEO gratiſſimi, hos omnes à me aliisqve exhibitos ſemper fuiſſe & eſſe volo, & cuivis meæ & alienæ actioni incluſos.

5. Sancti affectus intra Divinæ Dignitatis latitudinem comprehenſi.

EXcellens motivum & modum perfectè agendi offert Dignitas DEI inexhauſta. Monet ad ſic operan-

operandum Apostolus, dum nos vult ambulare dignè DEO. Porrò nil sanctè elici potest, qvo non sit dignus DEUS, & adhuc supervalebit ejus Dignitas, qvare non satis est hìc dicere: Ago id patiorvè qvia DEUS dignus est ut patiar agamqve; nec satis est velle agere & re ipsâ agere dignè DEO; sed insuper volo vellemqvè semper agere qvidvis juxta latitudinem dignitatis Divinæ, adæqvatè ad dignitatem & excellentiam Dei mei. Qvare laudo & laudare illum laudariq; sumopere desidero juxta omnem laudabilitatem ejus, seu juxta qvod dignus est & major omni laude: Amo & adoro eundem, nec non amare atque adorare desidero juxta amabilitatem & adorabilitatem DEI, seu juxta qvod dignus est amore & adoratione. Et sic de cæteris affectibus. Dignus est Agnus qvi occisus est, accipere honorem & gloriam, & juxta qvod dignus est eundem illi honorem exhibeo & exhibitum semper volo, &c.

6. Indulgere piis affectibus juxta totam capacitatem tuam & vires gratiæ.

AGe & afficere DEO juxta totam capacitatem tuam, & adæqvatè ad vires gratiæ, secundùm totum & ultimum posse. Id videtur præcipi in mandato de dilectione DEI ex totis viribus, adeoque te toto, totâ latitudine tuâ, totâ intentione, extensione, intensione: qvascunqve vires impertit tibi gratia, qvascunque DEUS videt in te, eas illi impende & super

per impende: age juxta habitum gratiæ, & eundem ſuperare deſidera.

7. Dare qvandam immenſitatem ac æternitatem ſibi piisqve affectibus.

DEUS immenſus ac æternus eſt per naturam; tu eſto per piam affectionem voluntatis. Ubiq; te ſtatue, ubi DEUS eſt, & dignis DEO affectibus ibidem pro te aliis exardeſce. Statue te in omni temporis menſura, in qvavis ætate & ſæculis æternis, in æternitate à parte antè & pòſt; & ſingula momenta imple piis in DEUM ac Cælites affectibus. Qvin etiam eandem æternitatem ac immenſitatem opta & qvoad potes, impertias iisdem ſanctis affectibus: tuis & alienis, opta ut ſemper ac ubiqve fuerint ac ſint, ubi & qvando fuit eſt eritqve DEUS. Tam tuos qvàm alienos replica voto & affectu.

8. Reproducere Sanctos cum eorum actis inſignibus, meritis & ſanctis in DEUM affectibus.

ETiam hoc miraculi genus audet pia in DEUM affectio, audet reproducere aut optat maximos qvosvis DEI ſervos è triplici lege, Naturæ, ſcripta & Gratiæ: A qvatuor ventis ſeu orbis terræ partibus, Surgite maximi ſervi DEI, & magnificate Dominum mecum.

mecum. Sed hæc reproductio illorum fiat cum omnibus eorum meritis, & actibus insignibus; in illis complacendo, eos DEO repræsentando & offerendo ac gratulando, optando eosdem æmulari, & pro viribus æmulando: eosdem ubiqve replicando; & qvod illis de majori intensione defuit, supplendo.

9. DEUM colere per Alphabetum.

OMnis oratio & affectus exprimi per verba potest vel Scripturam. Hanc alphabetum componit, ex qvo tot lingvæ & vocum combinationes in laudem DEI redundantes. Hinc non nemo alphabetum recitabat coram DEO supplex; ut DEUS ipse literarum combinator optimus, ex illis acceptissimam sibi laudem, orationem, & affectus aptos per verba exprimi contexeret. Et tu imitare hunc Abecedarium: imitare Prophetam in prima alphabeti litera hærentem: A,a,a, nescio loqvi. Imò DEUS ipse alphabeti vocabula in nomen Divinum assumit: Ego sum Alpha & Omega.

10. Substituere unum actum pro omnibus.

POtest substitui actus unus pro pluribus vel omnibus gratissimis & cujusvis meriti. Tripliciter id fiet: vel actum unum virtuosum ponendo pro omnibus individuis ejusdem speciei actuum: V. g. unum actum amoris Divini volendo substitutum pro omnibus ardentissimis actibus ejusdem amoris; & sic

ſic de cæteris. Vel actum unum ponendo pro omnibus actibus cujusvis ſpeciei virtutum tibi congruarum; vel certè actum diſparatum aut indifferentem ponendo pro actibus pluribus virtutis unius vel plurium ſpecierum, v. g. ambulationem & ſingulos greſſus, ſcriptionem, vel lectionem, recreationem & negotia diſtractiva volendo ſic eſſe ſubſtituta, & velut ſignum aut exercitium illius virtutis pluriumve. Age qui ſapis; & hoc modo auctior meritis evades.

II. Actus Compenſativos elicere.

Compenſativi actus multiplices ſunt. Alii compenſativi actuum malorum à nobis vel aliis elicitorum: Alii compenſativi bonorum actuum vel omiſſorum, vel imperfectiùs exercitorum, noſtrorum itidem vel alienorum. Alii compenſativi actuum ſtatui vario variisqve ætatibus & officiis proportionatorum. V. g. fuiſti antea ſæcularis, deinde Religioſus, deinde Sacerdos; tum ſuperior, vel huic aut illi muneri applicatus: in ætate puerili, juvenili, virili, ſenili: Qvidqvid defuit ſingulis qvoad pios motus in DEUM & exercitia virtutum, compenſa. Alii compenſativi æternitatis dæmonum & damnatorum. Alii compenſativi temporum, per quæ ceſſatum eſt ab omni ferè actu bono libero; ut in ſomno, vel recreatione, vel inter acta indifferentia nec ad finem ſupernaturalem directa; vel cùm DEUS non fuit ita agnitus, ut in prima pueritia, nec proinde pro debito cultus; item in plurimorum pagani-

paganiſmo, hæreſi, judaiſmo peccato habituali. Alii compenſativi actuum bonorum, à qvibus eliciendis ſancti & juſti vel morte naturali vel violentâ impediti per eos, qvi abſtulerunt labores eorum. Deniqve compenſativi actuum, qvi eliciti ſanctè fuiſſent in qvavis circumſtantia, vel conditione aut ſuppoſitione; & qvicunqve fuiſſent poſſibiles. In hos ergo omnes ſeſe affectus reflectat; & cùm ponit actionem ſanctam, in unione meritorum Chriſti, B. Virginis & Sanctorum; vel cùm ponit actionem ſacrificam in Miſſa; velit eſſe compenſativam omnium prædictorum modo placitiſſimo Divinæ Majeſtati. Iidem actus compenſativi fient B. Virgini & Sanctis ſuo modo.

12. Ad qvatuor Partes orbis converſa oratio.

JUvat, ut qvidam faciebat, ad qvatuor Orbis partes converti, Deoqve & Cælitibus exhibere in qvavis illarum & pro qvavis, qvod par ſit exhibere, ſeu ſupplendo earum defectũ, ſeu pro iis interpellando; ſeu qvod in iis ſanctè actum aliqvando eſt, approbando. Idem fiat per converſionem tuî ad omnia regna mundi, urbes & oppida, pauperum tabernas Regumqve turres. Daniel captivus ad Hieroſolymæ templum ſe vertebat orabatqve.

13. Cælites colere per parem vel ſimilem.

MAjor cultus, cùm major vel par ſaltem te colit; ut Rex Regem. Sic maximus DEI cultus per Chriſtum, ſeu qvo Patrem Æternum coluit: qvia Perſona Verbi incarnati æqvalis Patri. Sic etiam qvi vellet colere B. Virginem, qvali cultu ipſa coleret vel coluiſſet DEI Matrem; vel qvali coleret, qvi paris eminenter dignitatis eſſet; coleret qvaſi per parem aut ſimilem. Similiter de cultu aliorum ſanctorum.

14. Effuſio cordis coram Deo.

EFfundite coram illo corda veſtra, monet Regius Pſaltes. Etſi autem juxta Baſilium effundere cor, ſit evacuare cor à vitiis, affectibus malis, perverſis cogitationibus; juxta Auguſtinum cogitationes noſtras & affectus in DEO defigere & transferre: tamen poteſt latiùs hæc effuſio fieri, tum qvoad affectus amoris & zeli, in DEUM totaliter converſos; tum qvoad deſideria ſanctisſima & Divinæ gloriæ accommoda; tum qvoad poſtulata & fiduciæ plenam repræſentationem omnium noſtrarum neceſſitatum & miſeriarum.

15. Inſerere ſeſe variis hominum Claſſibus.

INſere te cælitibus, & age congrua cælo. Inſere te animabus Purgatorii; & miſericordiâ motus easdem adjuva. Inſere te afflictis, & leni oratione dolorem. Inſere te moribundis, & actum contritionis ac felicem mortem illis precare, Inſere Potentibus

mundi

mundi, & divitibus: atq; ab illis illud Propheticum averti postula; Potentes potenter tormenta patientur: divitibus illud postula: Sic transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna. Insere te tentatis & ne vincantur, supplica: voluptuariis & heluonibus, & qvi bibunt iniqvitatem tanqvam aqvam; & illis apprecare: Utinam intelligerent ac novissima providerent! Insere Religiosis ac justis; cum iisq; & pro illis DEUM benedic, & incrementa justitiæ ac perseverantiam illis efflagita.

16. Accusatores tuî varios audire & confundi ac compungi.

AUdi contra te qverimonias cæli: Item qverimonias temporis, qvo abuteris; Beneficiorum, qvorum ingratus exiſtis; Item qverimonias tui statûs, cui non sat congruè vivis. Item qverimoniam Angelorum & Sanctorum; Seraphini in te accusent extinctum pœnè amorem erga DEUM & proximum: Cherubini insipientiam cordis: Throni cor inquies & impacatum, & sic de aliis. Vulnera Salvatoris te accusent, qvod illa dilataris, addiderisqve super dolorem vulnerum: Vulnera pedum affectus tuos accusent, facta arguant, vulnera manuum: cogitationes, caput vepribus compunctum, &c. Attributa Divina te arguant; Omnipotentiæ & concursûs Divini abusus ad crimina: Immensitas effrontem arguat &c. Hinc confusio, compunctio; Patrocinii postulatio, oblatio actuum oppositorum Christi & Sanctorum, &c.

Reliqui

Reliqvi affectus, qvorum pleriq; in Face Ascetica explicantur, hìc innuuntur.

17. Vota qvædam nova, qvæ hìc infrà vide.
18. Pacta cum DEO & Cælo.
19. Sacrificium nihili, offer de qvo inferiùs.
20. Oblationes variæ, tuæ, alienæ, &c.
21. Mendicatio cælestis.
22. Permutatio cordis cũ Divino.
23. Desponsatio voluntatis suæ cum Divina.
24. Dedicatio Cordis DEO.
25. Præparatio ad mortem sanctissimam.
26. Purgatorium Desiderii & Amoris ac Ignis Æternus salvans.

Com-

27. Communio triplex. *Prima:* Et qui manducat me vivet propter me. *Secunda.* Et ad eum veniemus, & mansioné apud eum faciemus. *Tertia.* Communicatio S. Spiritûs sit cum omnibus vobis.

28. Spiritus Christi, seu sensus de seipso humillimus & actus diversi humilitatis.

29. Contritio, & simul qvædam Consolatio DEI super tot mundi in horas offensis & sceleribus.

Plures affectus ibi & alibi vide, & unctio Spiritûs Sanctite docebit.

II.

NOVUS MODUS ET PRAXIS

Intentionis ſublimioris,

Omnibus & ſingulis actionibus præfigendæ.

OFfero Divinæ Majeſtati tuæ DEUS Optime Maxime, coram te & univerſa curia cæleſti 1. hanc actionem & omnes internas & externas, immanentes & tranſeuntes, elicitas & imperatas, liberas & neceſſarias, deliberatas & indeliberatas, omnesq́ve earum partes & atomos, omnia momenta cujusvis actionis & diei ac vitæ meæ; 2. offero, inqvam, in unione ſimilium & aliarum omnium actionum ſanctiſſimarum Chriſti, B. Virginis ſanctorum & juſtorum omnium, & in unione affectûs, amoris, & omnis excellentiæ ac circumſtantiæ actuum Chriſti & univerſorum cælitum; idq́ve 3. offero ex voto, & ex motivo & affectu tum aliarum virtutum, tum vel maximè fidei, ſpei, charitatis erga te & proximum, amoris erga Divinam Parentem, religionis & cultûs debiti tibi, B. Virgini, & ſanctis omnibus, ex motivo laudis Divinæ, gratitudinis, zeli honoris tui & animarum obedientiæ, reſignati-

onis; 4. Ita ut hanc actionem & omnem velim esse actum imperatum prædictarum virtutum & cujusvis alterius mihi congruæ vel æqvivalentis; 5. atq; adeò te velim per eandem & omnes actiones super omnia, pro omnibus, cum omnibus, 6. omniperfectè, (ac ut qvidam vovebat) omnicreatè, omnipossibiliter, omnibeatè, MARIANE, qvasi Theandricè adorare, diligere, dignificare, glorificare, appretiare, æstimare, exaltare, laudare, benedicere, honorificare, magnificare super omnia, & deferre tibi, qvidqvid & qvomodo par est deferre juxta capacitatem & possibilitatem creaturæ, 7. adæqvatè ad vires gratiæ, ad lumen internum, adæqvatè ad tuam dignificabilitatem & amabilitatem, 8. gaudendo de bonis tibi intrinsecis & congratulando qvòd sis is & tantus, qvi & qvantus es; 9. desiderando tibi bona extrinseca nempe qvàm maximam tuam gloriam à Creatura omni tibi debitam & possibilem: ideoqve eandem actionem & omnes 10. offero ad maximam tuam gloriam, ob amorem & beneplacitum tuum, ob tuæ voluntatis impletionem, Bonitatis dilectionem, dignitatis exaltationem, tui gustûs Divini recreationem, tuæ supremæ excellentiæ & Dominii profundissimam adorationem & latriam tibi debitam, ac recognitionem meæ subjectionis & dependentiæ à te: item ob immensitatis tuæ ac judiciorum abyssalium reverentiam, misericordiæ exaltationem, beneficentiæ & Providentiæ suaviationem, justitiæ Divinæ deprecationem: 11. Item qvia mihi places, qvia tibi placere volo, qvia tibi id placet ac ut placeat qvod

ago:

ago: 12. offero item id in honorem, cultum, gloriam & exaltationem Incarnati Verbi, volendo illi per hanc actionem à me & omnibus Creaturis exhibitum, quidquid exhiberi debuit ac debet, potuit ac potest in omni circumstantia & cum omni intentione, extensione, intensione: 13. in honorem item & cultum B. Virginis Matris, exhibendo illi per hanc actionem, quidquid in ulla circumstantia Et exigentia illi exhibitum, ac exhiberi debuit potuitq; omni altiori modo & juxta Maternitatis Divinæ exigentiam. 14. in honorem item omnium Cælitum, & cujusvis in particulari: 15. item in gratiarum actionem pro beneficiis Sanctissimæ Humanitati Christi Domini & nobis per illam collatis, item beneficiis B. Virgini & omnibus Beatis nec non nobis per illos collatis, item pro beneficio Creationis, Redemptionis, Justificationis, Vocationis ad fidem & Religionem, Conservationis, Providentiæ, futuris gratiæ & gloriæ, minimis & maximis, cognitis & incognitis, gratiis & crucibus, seu prosperis & adversis, pro beneficiis item cuicunq; Creaturæ rationali & irrationali præstitis, ita ut pro his omnibus & singulis hunc actum Eucharisticum seu gratiarum actorium esse velim omni cogitabili & possibili modo ac juxta omne beneplacitum DEI: 16. Item id offero in satisfactionem pro peccatis meis & alienis, ad te propitiandum nobis DEUM nostrum tot peccatis indignissimè & ingratissimè lacessitum; & in compensationem injuriarum & potissimum in satisfactionem pro animabus Purgatorii tum omnibus, tum iis

potissimùm, quos Divina tua Bonitas juvari & tua Divina Mater per me & actionem hanc velit: 17. Item in impetrationem mihi & aliis cœlestium multiplicium gratiarum, potissimum vitæ sanctissimæ & felicis mortis, præservationis à peccatis, auxilii opportuni ad vincendas tentationes & æquo animo ferenda adversa: item in impetrationem perpetui statûs gratiæ, cœli sine Purgatorio, virtutum eximiarum, donorum Spiritûs Sancti, &c. &c. Item ad impetrandam conversionem Paganorum, Hæreticorum, Schismaticorum, Peccatorum, augmentum & perseverantiam justorum; & quidquid cuiqve sanctè optari ac impetrari potest. 18. Eandem actionem offero & agere volo in persona & suppositis omnium creaturarum, earumq; atomis, veluti me transformando in eas, & illas in me, & in omnibus, cum omnibus pro omnibus exhibendo tibi, 19. quidquid dignum te cogitari & exhiberi tibi debet potestq; à quocunq; & omnibus, unquam & usquam: 20. approbando item per hanc actionē omnium quosvis actus sanctos elicitos vel eliciendos, & illos mihi appropriando ac veluti à me etiam elicitos in gustum tuum gaudendo: 21. Imò etiam volendo actionem hanc & omnes alias esse quasi reproductivas quorumvis sanctissimorum hominum & sanctissimorum actuum ab illis elicitorum ad gustum Divini cordis renovandum; 22. nec non eosdem sanctos cum sanctissimis actibus quasi replicando in singulis atomis universi & momentis actionum singularum mearum & cujuscunq;: 23. item per eandem actionem

actionem retractando & possibili modo compensare volendo omnes actus malos moraliter, meos & alienos quosuis cujusvis temporis, & loco illorum substituendo hanc actionē unitam omnibus Theandricis Christi & Sanctissimis eximiis actibus: 24. volendo item hanc actionem substitutam pro omni actione sancta & beneplacita Divino cordi à quocunq; elicita unquam & elicienda: 25. nec non compensatū optando per hanc meam actionem unitam Theandricis Christi actionibus, ac suppletum, quidquid meis quibusq;, quidquid alienis bonis actibus defuit: 26. volendo item actioni huic inclusos modos agendi & intentiones quasvis sublimes & sanctas; 27. nec non actionem hanc & quamvis quoad omnes suî partes vel atomos volendo crescere quoad exhibenda supra dicta virtutum & cultûs Divini exercitia hìc ex voluntario affectu inclusa, crescere, inquam, in majori & majori semper proportione Geometrica saltē millecupla, ità ut unus actus vel momentū illius superetur ab alio subsequente in millecupla & majori proportione à supremo seraphino, cogitabili, vel intellectu Divino: 28. volendo deniq; agere dignè Deo, dignè Verbo Incarnato & ejus dignationibus erga nos; 29. dignè vocatione, dignè beneficiis, ex toto, super omnia, omni meliori intentione, 30. intensione, extensione gratis, nec ob spem præmiorum aut timorem pœnarum, te unum & solum, tuamq; gloriam & exaltationem ac beneplacitum, quærendo, non ullum meum cōmodum vel solatium, vel creatū quid, non propter te; 31. Item cum omni applicatio-

ne, incessanter, indefatigabiliter, semel [illegible] semper in æternum & ultra sic, & perfectius agere volendo; tibiq; Beata Trinitas, beneplacitũ servitium exhibere in spiritu humilitatis, & 32. cum omni depretiatione ac depressione vilitatis ac nihili mei, & actionis meæ, & omni exaltatione supereminentissimæ dignitatis, appretiatione amabilitatis tuæ. Ita volo, & da ut velim, ut possim, ut totis viribus enitar; tibi soli gloria in sæcula, Amen.

Hactenus Praxis Intentionis, de qua hæc adjicio.

PRimò tum manè, tum ante majores actiones exerceri illam posse: ante alias minores & singulis horis approbare illam sufficiet, & quasi confusè exercere. *Secundò.* Similem proportionatè Intentionem elici posse ad B. Virginem; immutatis, quæ DEO propria. *Tertiò.* Eliam alienis actionibus (juxta dicta in Face Ascetica sub titulo, Dives ex alieno) poterit applicari similis intentio. *Quartò.* Nihilominus aliquæ actiones particulares præter hanc Intentionem communem; poterunt habere alias sibi congruas & proprias. Ut patet in Intentionibus Sacrificii, quas ibidem innui, sub titulo, Præparatio ad sacrum. Patet idem in afflictivis v. g. jejunio, quod offerre licet tum in memoriam jejunii Christi, & in unione illius; tum ex virtute temperantiæ; tum ad victoriam suî & carnis rebellionem compescendam &c. & sic de cæteris.

DIES SECUNDUS

Sacri Tridui.

De Votis Religiosis in genere.

§. I.

ENCOMIA
Votorum Religioſorum;

Seu

EX ENCOMIIS,

Calcar ad primam votorũ nuncupationem & eorundem Renovationem ferventiùs faciendam.

Sicut ignoti nulla est cupiditas ac æstimatio, ita cogniti boni studium & amor facilè inardescit. Nec votorum amorem frigere velim; ideo prævìam ad amorem eorum cognitionem præmitto.

ENCOMIUM I.

Gloria Votorum Religiosorum.

I.

IMmensum gloria calcar habet. At votorum Religiosorum multiplex est gloria: Gloria in sæculo seu in terris, ubi hominem è vulgo eximunt, & constituunt inter illustriorem partem gregis Christi, & efficiunt DEO rem sacram, & honorabilem hominibus. Gloria in judicio; in quo non tam judicaberis, quam judicabis, assessor Judicis Christi & sequacium ejus: Gloria in cælo ac æternitate beata; ubi hæc tria vota emicabunt, & accidentalem gloriam præter essentialem addent, eamque æternam. Cuilibet voto dices: Tu es gloria mea, tu exaltans caput meum, gaudium meum & corona, corona gloriæ. Hæc verò gloria tantò magis augebitur, quantò altiora & sanctiora motiva fuerunt, ex quibus primò instaurata vota, & sæpius renovata & impleta fuerunt.

2. Porrò gloria religiosi ex votis redundans, est opposita gloriæ mundi; tum quia hæc mundana est cito transiens, & velut æs sonans, ac cymbalum tin-

niens tantisper, mox altùm conticescens; illa & temporalis est & æterna: Erit illi gloria æterna, ait Ecclesiastes tum quia gloria Religiosi est similis gloriæ CHRISTI; eò quòd qui similia sectatur facitq;, similia meretur; CHRISTI autem similitudò relucet in votis Religiosi, cùm CHRISTUM ultro pauperem, obedientem & purissimum imitetur, idq; ex voto, & firmâ voluntate: Tum quia gloria Religiosi est etiam gloria perfectiorum DEI servorum, cùm vota illum in statu perfectionis acquirendæ constituant, & perfectionis impedimenta amoliantur, eamque inse magna ex parte contineant: tum quia Gloria Religiosi est gloria calcantium gloriam Mundi, ideoq; longè alia est ab eâ, quam conculcat.

3. Qui gloriatur, in Domino glorietur, Nempè qui in aliquo alio gloriam reponit, fragile fulcrum gloriæ suæ supponit. In Domino gloriatur qui gloriæ sibi ducit, sequi Dominum. At verò in hâc CHRISTI sequela, Religiosum vota reponunt, cui primò vocans eum gratia & Christus dixit: sequere me. Meritò autem is gloriatur in Domino, quia sequitur Regem gloriæ, qui vult servum esse, sicut est Dominus ejus, adeoq; etiam secum quendam Regem gloriæ efficit. Nempe Regis summi gloria splendore comitum augetur; non est autem splendidior comitatus, quàm cum Reges summum Principem Gloriæ comitantur. Hinc si visio beata vocatur gloria cælestis, scit illam Rex gloriæ CHRISTUS augere, nec invidet his suæ gloriæ comitibus cum eo regnaturis.

ENCOMIUM II.

Honor Votorum Religio-ſorum.

I.

HOnor, maximum quid eſt inter bona externa juxta Philoſophum. Reſpicit excellentiam honor ſitam in virtute, aut Sapientia, aliiſq; perfectionibus ac dotibus. Non eſt honor potior quàm ille, quo dignatur DEUS excellentiam virtutis; unde de aliquibus dicitur. Nimis honorati ſunt amici tui, DEUS. Nempe Piſcatorem nunc adorat orbis, & ſceptra terræ venerantur: Franciſcus pauper & humilis hymnis cæleſtibus honoratur. Sat honoris virtuti in cælo & in terrâ. At ſi excellentia virtutis, alteriusve dotis eſt ratio honorandi; votis etiam Religioſis hæc ineſt excellentia; tùm quia victoriam inſignem & heroicam in terrenorum contemptu ob amorem Creatoris præſeferunt, tum quia Sapientiæ notâ præcellunt; cùm præferre æterna caducis, ſumma ſit ſapientia. Quidni ergo dicatur de Religioſis, quos hæc vota conſtituunt: Et honorabile nomen eorum coram illo, id eſt Deo.

2. Maxi[illegible]nor inter homines, maxima eſt dignitas. [illegible] major dignitas, quàm, quæ per vota conciliatur? [illegible]caſtitatis votum te inſerit Angelis, paupertas Apoſtolis, obedientia CHRISTO aſſimilat! Item maximus honor, maxima eſt reverentia.

At

At rurſus quæ hâc major, quâ coleris ut aliquid Divinum,& res propria DEI per votum triplex illi conſecrata ?

3. Presbyteri duplici honore ſunt honorandi, ait Paulus. Nimirum honor dicit & teſtificationem externam noſtræ æſtimationis de excellentia alterius, & munus ſeu dona ac largitiones ſignificat. Uterque honor defertur Presbytero ; nec deeſt Religioſis,qui quoddam Myſticum ſacerdotii genus profitetur. Sat illis honoris defertur in terris & in cælis ; & inſuper quid non recipiunt à DEO cæli ? Dat hic eis omnia affluenter de rore cæli & de pinguedine terræ ; & de donis cæleſtibus & terrenis, ut qui ſecularia dimiſerunt, & Spiritualia metant, & temporalium abundè ex patrimonio CHRISTI habeant, nihil habentes, & omnia poſſidentes.

ENCOMIUM III.

Laurea Multiplex in votis ac triumphis.

I.

UBi victoria, ibi laureæ, ibi triumphi majores vel minores. Nemo victor inſignior, quam ſuî & mundi. Neque una hic eſt victoria. Quot cupiditatibus obſiſtitur, tot pullulant laureæ. Inſuper, qui Mundum vincit, vincit & Principem Mundi, adeoque eſt inferni debellator ; vincit & faſtum mundi, &

di, & omne judicium mundi de rebus caducis erroneum. Religiose, felix es, qui vincis hæc omnia & in ingressu, & in progressu. Te vincis per vota; simulque de mundo triumphas, qui opposita sectatur; & Principem Mundi, qui ad illa opposita cor perurget. His tribus gradibus is ad triumphos.

2. Triumphus apud veteres Romanos duplex fuit. Major triumphus saltem sex hostium cæsa millia requirebat; minor pauciora; & de hoste domestico etiam notabilis victoria minorem tantùm triumphum pariebat. Secus hic agitur; Major triumphus Religiosi de seipso, adeòq; de intestino ac domestico hoste; cui etiam adjungitur victoria de toto Mundo, non de sex millibus hostium externorum.

3. Victoribus Romanis patuit porta triumphalis & capitolium, tibi cælum: Illis data laurea virens ex arbore; tibi virens in æternitate. Et lauream ibi capies, & laureolam: lauream in gloria essentiali; laureolam in accidentali debita perpetuæ castitati aliisq; votis, ac insignioribus virtutibus, quæ votis adnectuntur. Quid enim non plausuum à cælo extorqueas, seu voluptatem subjuges, seu voluntatem; & servituti idolorum te eximas, cui homines subjicit avaritia? Ejà vince sic continuò. Hoc differt tua victoria ab aliis, quòd ibi victoria provenit ex pugnâ, quæ desinit: adeòq; nemo ibi continuò vincit, ut nec continuò pugnat: tua pugna continua est; & si victor evadis, continua Victoria.

Insu-

Insuper licet augere victoriam majore profectu in perfectiori votorum observatione.

4. Attamen victoria insignior est, quam deinde victor hostis non temerat, Ita vince, ne jam vincaris: victoria illibata ab alternis casibus probrosis esto. Nam qui vincit, & postea se vinci patitur, priorem gloriam turpi eventu obliterat. At multi sic vincunt per vota primò instaurata, ac Religionis ingressum generosiorem; qui deinde vincuntur. Se primò vicerunt strenuè contemptu fallacis sæculi, proculcatione auri & voluptatum, contemptu suî & honorum, qui tamen sæpe postea victores victi! Pudor sit te fortiorem fuisse pænè adhuc imbellem, cum ex sæculo ires in aciem, quàm cùm in acie vincere didicisti, & diutiùs victor extitisti. Minus virium tibi inerat primo ingressu; successu temporis, vires tibi auxerunt lumina cælestia, ac æternarum rationum major notitia. Eheu quæ hostis insultatio! quàm turpe jugum tibi induit illa servitus, per quam, à quo victus est aliquis, servus illius efficitur! Ergo tuum sit etiam illud elogium: semper victor, nunquam victus. Lauream obtine, nec eripi tibi patere. Non te vincant parva, qui in magnis victor non semel fuisti: non vincant, quæ se votis opponunt, & jugem lauream obtinebis.

ENCO-

ENCOMIUM IV.

Heroicum quiddam in votis.

I.

HEröes omni ævo laudantur. Olim dicti Heröes quasi semidei, & via in cælos illis propria, via lactea è stellarum congerie conserta credebatur. Tanti est nomen heröicum: quod tamen non habetur sine virtute, factisque heröicis! Qui hæc habet, heros est, & Divinum quiddam in eo relucet, ob quod viam heröum in cælos speret. Religiosus, si quisquam, Heros est, melior sanctiorq;. Status & virtus talem hunc esse probat, & perpetua suî violentia, ut hunc statum nonnulli definiunt. Divinum in eo quiddam & hìc emicat, quia Christi similitudo ex votis redundans. Superat id priscam Heröum gloriam: Si illi semidei, hic pænè quidam DEUS. Nam qui separat pretiosum à vili quasi os meum erit; ait Dominus.

2. Heröicæ virtuti parum est, quod aliis multum: superant aliorum, vires hujus virtutis acta. Major arduitas, quàm sit in minori victoria, illi est pro objecto & fine, in quem generosè fertur. Hinc Herculis duodecim labores celebrantur, quòd monstra aliis formidanda edomuerit, & labores aliis non ferendos exantlaverit. Major arduitas in objecto virtutis, quàm vota continent, includitur; quia monstra vicisse, non virtutis est, sed fortunæ & successûs fortuiti: Labor etiam Herculeus vires corporis probat,

probat, non animi. Secus in votis Religiosis, per quæ homo sese heroicè vincit, in iis, quæ de plurimorum cordibus triumphant. Quàm enim potens sit Heros necesse est, qui in obedientia voto voluntatem & judicium proprium subjugat & submittit? In aliis votis qui scit, quanta vis trahendi insit, & vincendi difficultas; fatebitur Heröem esse, qui illis opposita generosè proculcat, & vincit contemptu. O Heröes, sic vincite: Quod pugnantem fatigat, vincentem coronat. Coronabitur, qui sic certat.

3. Inter virtutes est magnanimitas, & magnificentia: illa habet pro objecto opus ut magnum in ratione virtutis: hæc intendit magnitudinem in opere externo, nec parcit sumptibus, cùm res & ratio postulat, vocaturq; à Philosopho magnidecentia. Imò secunda hæc, DEO etiam tribuitur: nam magnificentia opus ejus: Magnificentia in sanctificatione ejus. Utraque Heröicæ virtuti congruit, quòd excellentiam & magnitudinem operis intendat; agatque, quæ magnos deceant. Quid verò non inest magnanimum & magnificum voventi sua vota Religioso? an id non magnum virtutis opus, quod nec CHRISTUS voluit ponere in præcepto ob difficultatem operis; etsi alia difficilia præceperit? Hinc tantùm dicit: Qui potest capere, capiat: si vis perfectus esse, vade & vende omnia, &c. Omnino Heros est per sua vota Religiosus: Heroum viam in cælos, Heroum gloriam speret.

ENCOMIUM V.

Martyrium in votis Religiosis.

I.

EXcellit Martyrum virtus & dignitas, virtus: quia charitatis & fortitudinis apex est; dignitas, quia illi in Stephano lapidato Christus in cælis assurgit: gratiam item ex op :reope rato confert; & Cælum sinePurgatorio recludit. Non vacat plura in Martyrii laudem dicere, cujus decus & præmium in comperto est. Hinc plures ad Martyrii coronam contendunt omni ævo. Sub Nerone & Diocletiano ô quot sponte Martyres cruenti! at in pace etiam plures incruenti: ibi Martyres fidei, hìc Martyres charitatis. Hos inter Religiosi sunt, quorum vitam Martyrio Sancti adæquant, difficiliori, quò diuturniori. Et meritò, nam, ut Martyrium est mors, vel ictus lethalis pro Christo seu virtute: ita hìc moritur diu mundo, & sibi ipsi quisquè propter DEUM: ibi tyrannus, hìc amor obtruncat.

7. Laureola cruenti Martyrii est unica; triplex est Religiosi Martyrii, quod triplex est. *Primò* namquè Martyrii genus est paupertas voluntaria, teste Bernardo; hinc eidem regnum cæleste promittitur, quod & Martyribus: & Magdalena de Pazzis dixit: Anima quæ possidet paupertatem, usurpat sibi coronas Martyrum. Item virginitas Martyres facit; & teste eodem Bernardo, castitas in juventute, Martyrium est sine sangvine. Deinde immola-

re vitam

re vitam est minus in victimis, quàm voluntatem in obedientia, quæ victimis illis præstat: unde inhærere frangendæ voluntati Martyrium est, judicio Theodori Studitæ; & divinitus revelatum est S. Gertrudi, Religiosos sub obedientiæ regula viventes, martyribus annumerari. Quid deinde; an tot aspera & molesta, quæ accidunt in vita Religiosa, non quædam Martyrii sunt species? an & continuæ mortificationis occasio, & exercitium? certè in DEI oculis sæpè majoris est meriti, mortificari; quàm mori; ut & mors Martyrum tantò pretiosior, quantò mortem præcedens pœna productior: O quot ergo Religiosi laureolæ!

3. Tria in Martyribus admiranda: Charitas, ex qua mortem & cruciatus perferunt: Amor cruciatuum & exultatio in iisdem, aut saltem prompta, nec coacta eorum tolerantia: Constantia virtutis & perseverans fortitudo, quæ coronatur. Nec in Martyrio Religiosi incruento, id deest ut quotidie experimur; & ne desit, huic Martyri curandum, ut de laureola sit securior.

4. Quærunt aliqui de dispositione requisita in peccatore, ut illi prosit Martyrium; ajuntq; nonnulli apud Lessium sufficere ipsam voluntatem patiendi pro Christo; quia est virtualis dilectio DEI super omnia, & detestatio peccatorum. An non par hìc voluntas, & virtualis dilectio DEI, detestatio peccati; si ex illo motivo fias Religiosus, quia in Religione homo vivit puriùs, cadit rariùs? En quàm desiderabilem effectum ac dispositionem hoc Martyrium includit!

ENCO-

ENCOMIUM VI.

Baptiſmus quidam in votis Religioſis.

I.

MUltiplicem analogiam habet ſtatùs Religioſus cum Baptiſmo: tum quia, ut baptiſmus eſt lavacrum regenerationis; ita hìc fit nova creatura, novus homo abjecto ſæculo gignitur; imò ſi, ut ait S. Thomas, ſtatus pœnitentiæ eſt Religio, certè ubi lacrymæ pœnitentiæ, ibi lavacrum & baptiſmus pœnitentiæ: Tum quia quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ait Paulus; at etiam hìc Chriſtum induit, qui ejus morum ſimilitudinem & ſequelam; per vota enim induit pauperem Chriſtum, induit obedientem, &c. Tum quia ut baptiſmus confert remiſſionem peccatorum quoad culpam & pœnam; ita ingreſſus Religionis confert integram peccatorum omnium remiſſionem ut docet Hieronymus, Anſelmus, Bernardus, Antoninus, S. Thomas; Quia, inquit, eò ipſo quòd Religioſus ſuam voluntatem in ſervitutem redigit propter DEUM, plenariè jam pro omni peccato ſatisfecit, quam chariorem habet omnibus rebus mundi. Denique Baptiſmus hic in trinitate votorum perficitur.

2. Baptiſmo ideò cenſent Theologi vim remiſſivam omnis peccati ineſſe ex opere operato; quia in eo eſt myſtica mortis CHRISTI configuratio. Nec

Votorum inſtauratio caret hâc configuratione. Si enim mors Chriſti obita ex obedientia in Baptiſmo repræſentatur; an obedientiæ votum & per illud voluntatis propriæ funus te non configurat myſticè Chriſto morienti? Idem Chriſtus moriens, veſtibus exſpoliatus & in alieno conditus ſepulchro, quid, niſi pauperatis exemplar fuit? An ergo & religioſa pauperatas mundo mortua Chriſtum morientem non repræſentat? Deniq; nemo carnis mortificationem ſic in corpore tulit, ut Chriſtꝰ in Cruce, moriens: hic enim voluptas omnis affixa & extincta. Quæ enim in Cruce ſit voluptas? certè nec Votum caſtitatis, eidemq; annexa mortificatio à repræſentatione Chriſti in Cruce mortui ſecerni debet. En ut nec in hac repræſentatione mortis Chriſti Baptiſmo cedunt Religioſorum vota? Sed qui mortuus eſt ſic; non reviviſcat, niſi cum Chriſto in vitam immortalem: vivat in illo Chriſtus, non mundus & caro.

3. Chriſto baptizato aperti ſunt cæli, & vox Patris intonuit: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: Item Spiritus Sanctus viſus eſt ſuper eum in ſpecie columbæ. O felix baptiſmus! ſed nec tuus, Religioſe, infelicior. Cælum tibi aperit paupertas, ob quam beati pauperes regno cælorum inaugurantur. Reſerat cælum & caſtitas, ubi ſequuntur Agnum & cantant canticum exultationis virgines: Aperit & obedientia cælum, ut voluntas propria infernum. Inſuper & ſuper te requieſcit Spiritus Domini; nam ſi non habitabit hic Spiritus in homine, quia caro eſt; tu carnem per votum

&

& voti custodiam exuis. Quia verò Christum in te his etiam votis exprimis; & illud de te dicitur: Hic est Filius meus, &c. Eja ad hunc baptismum! Lavare septies, & millies; nam hic baptismus iterari potest plus quàm millies: ac iteratur, cum effectu primo à renovante sæpius vota, ut docet Sanchez.

ENCOMIUM VII.

Vena meritorum in votis.

I.

VEnas auri nolim præ venis meriti supernaturalis. Ubi meritum, ibi gratiæ & gloriæ felix proventus. Auro hæc utraq; præstat, quæ DEUM trahit secum in tuam possessionem, præclaram nimis. Venæ meritorum plurimæ, nempe singuli actus sancti & supernaturales: virtutum opera has venas gerunt, ad quæ tibi campus latior aperitur in Religione, cui te vota inserunt. Quid enim Religio, quàm locus omnigenæ virtutis, proinde quædam aurifodina meritorum!

2. Sed vota ipsa Religiosa has inter venas meritorum repone: tum quia ipsa actus virtutis præstantissimæ sunt: tum quia geminant meritum virtutis, cui adjunguntur. Alibi actui bono simplex respondet meritum: votivæ Virtuti duplex: bis meretur, qui ex voto actum virtutis facit: Tum quia multi actus imperati ex motivo alicujus voti fieri possunt & solent; ut cùm ex motivo obedientiæ, aliquid

aliquid mihi impero; ex motivo castitatis me in plerisque mortifico; Item cùm perfectiores actus votis etiam proprios, ex eorum motivo assumo; etsi illos liberum esset mihi omittere, & minus perfectos ponere. Insuper ipsâ sui repetitione ac renovatione celeberrimâ, quot me augere meritis vota possunt? Felix, cui venas hasce meriti ostendit gratia vocans, aperit comitans.

3. Meriti majoris causa est aliquando, vel arduitas operis; vel voluntatis major adhæsio, & firmitas inconcussa in bono opere, eique annexa promptitudo: vel finis sublimior, aut actus virtutis votivæ nobiliores; vel major dignitas subjecti. Pleraq; ex his locum habent in votis, consequenter majoris momenti causam. Nam & per se ardua sunt, quæ voventur; & per vota firmatur voluntas in bono per obligationem voti strictam & ex parte voventis indissolubilem; insuper in Societate Finis præfixus nobis nobilior eadem sublimat, & actus votorum proprii insigniores, ut patet tum ex aliis, tum ex obedientiæ summa perfectione quoad suos actus in Constitutionibus descriptos. Denique crescit hîc meritorum ratio & vena, quòd juxta sententiam Joannis Avilæ Hispani Ecclesiastæ, quidquid fit in Societate, etiam lances lavare, est animarum conversio: & quidquid etiam abjectissimum ad Societatis conservationem dirigitur, est animas convertere. Hæc ille. At zelus animarum quanti apud DEUM meriti? En quantorum hîc venam meritorum vota offerunt.

ENCO-

ENCOMIUM VIII.

Renuntiatio Evangelica in Votis perfectisſima.

I.

NOn eſt timendum Religioſo illud: Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Nam per vota his tantò perfectius ille renuntiat, quantò ex motivis ſanctioribus, puta ardentiſſimæ charitatis, amoris æternorum, promptiſſimæ ac æternæ Chriſto adhæſionis, ſalutis animarum quærendæ ſtudio; quod in illa Religione viget, quam ingreditur. Quia verò perfectius adhuc eſt, non ſua tantùm, ſed & ſeipſum relinquere; id quod Chriſtus requirit. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum; id votis illis præſtat Religioſus, per quæ renuntiat ſibi. Ex anima & corpore conſtat: animæ, quia ejus voluntati & judicio, renuntiat per obedientiam; corpori per caſtitatem. Celebret mundus Carolum V. abdicantem; minùs hic præſtitit Religioſo abdicante, ac ob amorem æternitatis omnia conculcante; Seipſum ſibi Imperator reliquerat; non item Religioſus.

2. Renuntiationis hujus pretium creſcit ex multis præter dicta. Creſcit ex complicitate plurium virtutum in hoc unico actu contentiarum: Creſcit à Regno libertatis, quod animus talis occupat, exutus vinculis mundi & cupiditatum, quibus animæ duriſſimè laqueantur, adeoq; etiam hic Crates Cra-

tem libertate donat; creſcit à nota ſapientiæ Sanctorum, quâ caret ſæculum in his amorem defigens, quæ contemptum ſuî, Chriſto judice, meruêre: Creſcit à remotione impedimentorum DEO perfectiùs ſerviendi, animæ beatiùs proſpiciendi: Creſcit à cæli plauſibus in tantæ virtutis ſpectaculum effuſi; Creſcit à theſauris, quos illi cælum adhuc in terris aperit: Creſcit à tranquillitate cordis; dum alii in fluctibus ſæculi periclitantur; Religioſus illud abdicans, in portu eſt, & fluctus ridet: Creſcit à prærogativa Chriſti, cui dictum à Patre: Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; at ſi inimici hominis, domeſtici ejus & terrena; hos ille inimicos proculcans, habet pro ſcabello pedum. O beata renuntiatio, millies te approbo. Places & exinde, quòd relinquere omnia multò melius ſit, quàm benè uti; quia difficile eſt uti moderatè, & uſus facilè vertitur in abuſum; imò bona illa excæcant ſæpè, ne homo videat DEUM, & cælum; ut ſui ipſius obliviſcatur; quantò magis, ut videat rectum uſum.

3. De baptiſmo agens Auguſtinus inquit: Non hominibus, ſed DEO & Angelis, ejus conſcribentibus diximus, Renuntio (ſcilicet, diabolo, mundo & pompis ejus) mox ſubdit: Renuntiate ergo non vocibus, ſed moribus: non tam ſono lingvæ, quàm actu vitæ: non tantùm labiis ſonantibus, ſed operibus pronuntiantibus. Deprehenderis enim & detegeris, quando aliud agis, & aliud profiteris; aliud in nomine, aliud demonſtrans in opere; non tenens romiſſionis tuæ fidem. Quid tibi cum pompis dia-

 boli

boli & sæculi, quibus renuntiâsti? Hæc ille ad baptizatos. Atqui Religioni cum Baptismo multa congruunt communia: omnia vota clamant: Renuntio. Paupertatis votum ait: Renuntio sæculi divitiis & avaritiæ, ejusq; sequacibus vitiis. Castitas ait: Renuntio voluptati sæculi & fœno illi infernum accendenti, omnis caro fœnum. Obedientia inquit: Renuntio voluntati, judicio proprio, libertati ac illi idololatriæ: Quasi scelus idololatriæ est, non obtemperare. Renuntio omnibus, & adhæreo tibi æternùm, DEUS meus & omnia. Vide ergo, ut qui sic renuntias voce, etiam actu vitæ. Si sic renuntias, DEUS est tibi omnia, quo es dives super omnia regna mundi.

ENCOMIUM IX.

DEI Possessio & Hæreditas in Votis activa & passiva.

I.

VUlt te, ô Religiose, DEUS extra cælum etiam esse beatum. In cælo possidetur DEUS Beatis, ubi omnes hæredes DEI, cohæredes Christi. Nam visio DEI, est tentio DEI, & fruitio DEO intimè animæ beati illabente; atq; adeo ibi DEUS est omnia in omnibus, & omnibus. At etiam tibi DEUS est Omnia, quibus gaudent illi nihil habentes, omnia possidentes. Hic tibi Protector, hic Provisor, hic Patrimonium, hic Thesaurus, hic Cibus &

Potus, hic Pater & Mater, hic Dux, hic Magister, hic Lux & Vita, hic Sponsus, hic Dulcedo & Solatium: Sæcularis dives est, quia habet aurum in arca; Religiosus dives est, quia DEUM habet in conscientia, inquit Hipponensis Præsul. Habet illum, quia híc facilis est status gratiæ, per quem DEUS est in anima, & Filiatio DEI adoptiva habetur cum jure hæreditario DEI ac Cæli. Insuper hîc intervenit quædam possessionum permutatio: cedis possessione terrenâ; & possessio tua fit DEUS, dicisq;: Hæreditas mea præclara est mihi. Nimirum non es tu liberalior: da te ipsum DEO; se totum tibi DEUS. Pulchra possessionum permutatio! vide ne dicas: Dimisi hæreditatem meam, Jer.

2. Tu ergo DEUM possides, sed & te DEUS possidet, non tantùm ratione Dominii supremi, ac redemptionis, jus habens in te & dominium proprietatis; sed insuper tuâ spontaneâ tuî transcriptione in possessionem DEI. Sic te transcribis, dum statum hunc eligis: sic transcribis, dum voves & vota innovas: dicis tunc semper: totus sum DEI: suscipe Domine universam libertatem meam: accipe intellectum & voluntatem: quidquid sum & habeo, hoc tibi totum do: totus sim tuus, nullus meus. Neq; volo tantùm dare DEO dominium utile, & usum fructum meî, rerumq; mearum; sed & dominium proprietatis: utere me pro tuo jure & libitu in æternum. Utinam nemo me rapiat de manu tua, Hæres meus, DEUS meus. Transcribo insuper tibi, Domine, possessionem juris & facti in me; id est,

& omne jus insistendi mihi ceu rei tuæ: & detentionem mei actualem quoad omnia mea jam non mea, sed ex asse, tua. Quia verò potest res & per se, & per alium possideri; sic me DEUS, & per te posside, & per Superiores meos vicarios tuî: possessio tua, hæreditas tua sum, & de hoc exulto: tu benedic hæreditati tuæ.

3. Testamentum definiunt, quòd sit institutio hæredis: & simul, quòd sit ultima voluntas de eo, quod quis post mortem suam fieri velit de rebus suis. Etiam civiliter moriturus homo per ingressum religionis, condit testamentum, instituit hæredem sui DEUM: Hæc est ultima illius voluntas proximè ante hanc mysticam mortem, seu in fine vitæ sæcularis & post mortem hujusmodi vult hoc de se rebusque fieri justa & sancta voluntas, ut sit hæreditas DEI. O beata voluntas! ô testamentum laudabile! si testare, qui non terrena sapis! sat sapit, qui sic testatur.

ENCOMIUM X.

Donatio suî ipsius DEO in Votis.

I.

MOysi dixit DEUS: Separabis mihi de filiis Israel, ut sint mei; quia dono donati sunt mihi. Hic titulus Religiosorum est: mei, dono donati mihi, ait Dominus. At unde hic illis titulus? A donatio-

natione, quæ fit in aggressu statûs religiosi, & votorum emissione. Felix emissio, quæ invenit, quod DEO donet, quo DEUS ceu de novo re suâ glorietur; acsi illâ antea caruisset Dominus universorum.

2. Donum est datio irredibilis profecta ex amore. Ubi donum inter amicos; causa donandi est amor, qui mutuum non quærit, seu vicem rependi; sed dat liberaliter sine quæstu, etsi nullum speraret inde bonum ad se rediturum: ideoq; datio illa irredibilis & irreddibilis ex parte donantis censetur: Irredibilis, quia non vult illam revocare, aut redire ad se donans, vel in se, vel in æquivalenti: Irreddibilis, quia non dat modo mercenario vel venali, aut quæstûs gratiâ; hoc enim esset emere, non donare. Religiosus sic donat seipsum DEO, & sua omnia: & quidem non tantùm donationem exercet, sed insigniter liberalem; dat enim quidquid est, habet, potest, in ingressu Religionis: donat libertatem, & animæ & corporis potentias; donat famam, cui cedit per delationes: donat conscientiæ arcana, per manifestationem suî Superioribus: donat omnem dispositionem suî rerumque suarum per indifferentiam: donat commoditates & solatia; donat vitam totam & tempus DEO & proximis ex mente Religionis impendendum: donat omnia bona interna & externa; totus esse vult DEI, totum se DEO donat per vota Religiosa: estque hæc datio irredibilis ac irrevocabilis; vovens enim, ut vitam in hoc statu perpetuam degat, dicit: Dono in æternum. Amor ad id genus donationis invitat, amor eam dulcorat;

nec egestatem inde sentit, quòd seipso homo careat. Nam qui se donat alteri, caret seipso, & est alterius; caret enim eo, quod donat; unde nec seipsô uti jam potest ceu re alienâ: sed id ei dulce, quia hunc super se amat, cui se donat ac devovet! ô ire! ô sic se dare! ô donare DEO! ô nunquam donum hoc revocare!

3. Certare donis cum DEO expedit, dedit ille Filium in terras, rem sibi prædilectam: Donum etiam DEI Altissimi dicitur Spiritus Sanctus, Spiritus dulcis & increata dulcedo. Succumbet quidem humana tenuitas in donis suis DEO; sed tamen certet, quantum potest: det, quantum potest; det, quantum diligit. Grata omnis donatio talis DEO; & tantò gratior, quantò majora sunt, quæ donantur ab amore. Certè homo se illis per vota spoliat, quibus nihil ferè habet in terra carius. Hinc etiam hìc illud eveniet: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Jus quidem terrenum reprobat donationem omnium bonorum præsentium & futurorum; sed DEUS approbat, nam etiam ibi Jus excipit; nisi talis donatio fiat in pios usus, vel firmetur juramento; ut hìc voto.

ENCOMIUM XI.

Dedicatio sui ipsius in Votis.

I.

TEmplum DEI nos vocat Apostolus. Et corpora, ergo templa sunt DEI, & animæ: cui autem templa

templa dedicentur, nisi DEO? Eja ergo ô homo, teipsum DEO dedica: esto Basilica Creatoris, Basilica Salvatoris. Dilatare gaudio, quòd in te templum gloriæ suæ velit habere DEUS, cui etiam promittit, quod templo Hierosolymitano: Erit cor meum, & oculi mei ibi cunctis diebus.

2. Esto ergo inter vivos & electos lapides, de quibus DEUS æternum majestati suæ præparat habitaculum. Vivum te faciat charitas vita animæ, quâ impellente, DEO te consecrabis: Electum te comprobat Divina vocatio, per quam & tu es DEO electus ex millibus; & curare deinceps debes, ut sicut es inter multos vocatos, ita sis inter paucos electos. Lapidem electum stabilitas virtutis & voto firmata triplici indicabit.

3. Nazaræi olim fuerunt velut Religiosi, abstinentes à vino, & uvæ etiam acino: qui ut liberiùs divinis vacarent, aliorum se commercio abdicabant, & Domino totos dicabant, teste Vatablo. Significat Nazaræus separatum, consecratum. Potior Religiosorum nunc consecratio; nam partim est perpetua, non ut quorundam Nazaræorum ad tempus: partim quòd plura à se abdicent præ Nazaræis, ut se cultui Divino totos dedicent. Hinc illa Nazaræorum laus magis Religiosorum cœtibus à sæculo separatis, consecratisq; DEO convenit: Nazaræi ejus candidiores nive, nitidiores lacte, sapphyro pulchriores, rubicundiores ebore antiquo. Tanti est esse DEO consecratum, seu sanctum Domino.

4. Consecrant ac dedicant nos vota DEO, &

unusquisq;, dum vovet dicit, quòd Diva Agnes: Cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur; ipsi me totâ devotione committo. Quòd consecrent, patet, tum ex eo, quòd S. Thomas solennis voti naturam in consecratione ex animo non delenda ponit; tùm quòd actus Religionis sint, quæ virtus cùm ad cultum DEI referatur; quidquid afficit, DEI cultui consecrat: tum quia etiam iniquus percussor Religiosi inde sacrilegus est, quia rem Deo sacram violat; sacram autem voto effecêre. Et certè castitas hominem consecrat Paulo teste, qui obsecrat, ut exhibeamus corpora nostra DEO ceu hostiam DEO placentem; aitque virginem cogitare debere, quòd sit sancta corpore & spiritu: consecrat nos paupertas quæ è servitute idolorum avaritia vendicans, in veri DEI cultum transfert, & à fluxis bonis cor avellit: consecrat obedientia, quæ nos aliis victimis meliores victimas DEO facit. Ergo sanctificamini Domino; nec quidquam sit, quod sacrum DEO nolitis: Me & omnia tibi, DEUS, dedico in æternum.

ENCOMIUM XII.

Negotiatio cælestis in Votis.

I.

NEgotiator lucris inhiat; vultq; carius distrahere, quæ viliùs emit, vel obtinuit. Alibi lucris inhiare non semper decorum est; lucris æternis ac cælesti-

cælestibus semper pulchrum. Talis negotiator est Religiosus, qui pro terra vult totum cælum; pro una domo accipit mille; pro re qualibet minima, centuplum. Nec invitus est Dominus, dat negotianti quantum vult, & suprà; quàm cogitet; nec improperat. O felix negotiatio! vis scire quantum lucretur? pro uno centum, seu centuplum lucri!

2. Clericis & Religiosis aliqua Negotiatio, nempe propriè dicta per Canones prohibetur; nempè illa, quæ aliquid lucri causâ emit, ut immutatum cariùs vendat per seipsum immediatè. Immutatum tamen suo labore & industriâ licet sic vendere, nec pœnis Canonum iidem tunc subjacent. Felicior hæc negotiatio sacra, quæ omnibus licet: imò Religiosi ferè illâ feliciùs & securè utuntur, tantùmq; abest, ut id Ecclesiæ canones vetent, ut potiùs laudes eorum enuntiet omnis Ecclesia Sanctorum. Hi sibi dictum à Domino putant: Negotiamini, dum venio: & perinde illis est licitum lucrosumq; seu rem immutatam exhibeant venalem, seu industriâ mutatam auctamque; etsi major industria in negotiatione cælesti majus lucrum pariat.

3. Ille Evangelicus negotiator gemmæ pretiosæ, qui eam inventam omnibus, quæ habuit, divenditis emit; maximè Religiosorum negotiationem adumbrat. Gemma hæc vel salus æterna cælumq; est, vel charitas & perfectio charitatis juxta illud Canticorum: Si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Gemma hæc negotiatoribus hisce carò constat, sed libenter

omniā prodigunt, ut eam comparent. Vide enim, an non omnia dent, quæ habuerunt, cùm per vota tria omnibus bonis se exuant, bonis animi, corporis & fortunæ; ut salutem obtineant, & cælestem gemmam. Imò & pro charitate, eadem bona omnia libenter impendunt quatenus voto triplici religioso opposita, charitatis perfectionem impediunt. Sed plus deinde pro gemma hac accipiunt, quàm expenderint, dum charitate viæ lucrantur charitatem Patriæ, totumq; DEUM, juxta illud: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. O ter beata in votis Religiosi negotiatio.

ENCOMIUM XIII.

Contractus cum DEO in Votis & pacta amicitiæ.

I.

AUdet homo cum DEO contrahere & pacisci, nimirum docent pleriq; DEUM etiam posse homini obligari ex justitia. Est autem contractus juxta Jurisconsultos, ultro citroq; obligatio; potissimùm in contractu oneroso, quo datur hinc aliquid, & inde redditur. Etsi gratuitus contractus, quo datur aliquid, & nihil redditur; alteram partem non obliget, Uterq; contractus cum DEO iniri potest etiam à vovente Religioso. Etsi, qui ex puro amore

re contractum cum DEO celebrat, potius facit contractum gratuitum. Amor enim ſine quæſtu eſt; & ei, quem diligit, liberaliter dat vel promittit, qvidqvid dat vel promittit. Et præſtat ſic in votis contrahere, neq; per illa DEO promittere, vel exhibere aliquid eâ conditione, ut id remuneretur. Plus amor lucratur, qui ad lucra non attendit: & DEUS meruit gratis diligi; etſi creatura illum nunquam gratuitò diligit, tot illi beneficiis & amore immenſo ad amoris vices obſtricta. Minores tamen animæ contrahunt; & ſanctè ita contrahitur (etſi primum ſanctius) cum DEO: propter retributionem.

2. Varii quidem contractus in votis poſſunt cogitari; Nimirum & contractus pignoris, quod datur in quandam ſecuritatem debiti: cùm enim homo ſit DEI ingens debitor; ſeipſum illi ceu in pignus offert; etſi cùm aliud nihil habeat in ſolutionem debiti ex parte ſua, pignus hoc in manus DEI & poteſtatem reſignet: contractus etiam depoſiti, quod cuſtodiendum religioni traditur; ſeipſum enim illi committit Religioſus, dum ſimul in manu DEI deponit, licetq; (nec enim invitus eſt, imò ultro concedit id deponens) depoſitario pro libitu re depoſitâ uti. Eſt etiam quidam contractus Societatis, ſeu conventio cum Religione, contribuendi ad commune lucrum; puta Gloriæ Divinæ ſecundùm proportionem virium corporis & animæ, ſeu rerum contribuendarum: eſt Contractus commodati, ſeu gratuita conceſſio ſuî rerumq; ſuarum ad uſum Divinum & Religionis: nempe ſic etiam Samuëlem DEI

cultui dedicans Mater dicebat: Idcirco & ego eum commodavi Domino cunctis diebus. Nihilominus duo potissimùm contractus hîc cum DEO per vota Religiosa ineuntur. Primò contractus Promissionis, quasi juratæ (nam etiam votum est promissio facta DEO) obligatq; tum ex fidelitate, tum etiam ex justitia (ut censet Layman de Promissione acceptata tum etiam hic ex Religione. Libenter hæc promissio acceptatur à DEO, & omnino exigit, ut illi satisfiat: displicet enim illi infidelis promissio. Secundò contractus hîc quidam est innominatus; do, ut des; facio, ut facias; veluti illud Divi Petri diceres; Ecce nos reliquimus omnia; quid ergo erit nobis? nempe huic contractui promissum est ex parte Christi centuplum, & thesaurus in cælo, ac vita æterna. Hujus ergo promissi amore captus, qui terrena calcat, & promittit servitium DEI in Religione, quam per vota init; videtur inire contractum cum DEO: Fecimus, quod suasisti: da ergo promissum præmium.

3. Contractus hic habet suas solennitates. Prima est prævia actui contrahendi devotio in Religione usitata, suique interna dispositio per Recollectiones sacras, per conscientiæ emundationē, & usum mortificationum, aliosq; actus supererogatorios etiam publicos. *Secunda.* Quòd contractus hic fiat in assistentia & præsentia Cælitum: Voveo coram Sacratissima Virgine, & curia cælesti universa. *Tertia.* Quòd fiat cùm publica exaggeratione suæ indignitatis & imbecillitatis ad explenda promissa, seclusâ

DEI

DEI gratiâ: nec non professione excellentiæ Divinæ & fiducia in DEO: Ego licet undequaq; indignissimus tuo conspectu; fretus tamen pietate tuâ, &c. *Quarta*. Quòd se homo totaliter tradat DEO in perpetuum servitium & cultum DEI in Religione approbata: tradit autem se quoad corpus & animam, ac bona externa per vota. *Quinta*. Nil ferè exigit vicissim, nisi auxilium ad implenda promissa DEO: A te igitur per JESU CHRISTI sangvinem peto suppliciter &c. Vide, quàm insignis hic contractus, quàm ex sanctis motivis fiat coram quibus testibus. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, ait Dominus per dilectum Joannem.

4. Pacta alii faciunt cum hominibus, imò & cum inferis; tu cum DEO. Pacta sunt ipsi contractus. Pacta æterna, sunt pacis & amicitiæ æternæ inter gentes vel regna, mutua promissio, quæ fide & instrumento publico solenniter firmatur. Talia cum DEO inter vota, ineuntur pacta, æterna. Voveo obedientiam &c. perpetuam; & promitto me societatem ingressurum, ut vitam in ea perpetuò degam. Hæc verò pacta, amicitiæ cum DEO perpetuæ sunt tessera; quia ut amor illa imperat, ita & continuat. Licet illa sangvine CHRISTI, quem tunc in SS. Eucharistia percipis, subscribere.

ENCO-

ENCOMIUM XIV.

Sponſalia & Epithalamium ſacrum in Votis.

I.

CHRISTUS animarum Sponſus, vultq; inter ſe & animas eſſe vinculum indiſſolubile; cujus etiam ſymbolum ſacrum eſt connubiale fœdus inter fideles, quod ad rationem Sacramenti elevavit, contulitque illi indiſſolubilitatem. Quæcunque Anima ſapit, dicit huic Sponſo ſangvinum: Non permittas me ſeparari à te. Quæris, ubi ſit, ubi paſcat, ubi cubet? Etiam in Religioſis cœtibus; ubi enim tot ſunt congregati in nomine meo, in medio eorum ego ſum, ait ipſemet. Religio eſt locus ejus, thalamus ejus; Sponſum ejus adoremus in ea.

2. Ambit animas ſibi DEUS deſponſari. Sponſabo te mihi in fide: In charitate perpetua (en vinculum indiſſolubile) dilexi te, & attraxi te, miſerans tuî. Clamat idem: Veni de Libano Sponſa, veni coronaberis. Hinc Sancta Agnes, & Sancta Catharina Sen: annulo CHRISTI deſponſæ CHRISTO; ideoque Agnes dicebat: Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus JESUS CHRISTUS; & tanquam ſponſam decoravit me coronâ: ipſi ſoli ſervo fidem: poſuit in me ſignum, ut nullum præter eum ſponſum admittam. Porrò alii ſe DEO deſponſant per plenam voluntatis ſuæ conſignatio-

nem

nem, & conjunctionem Divinæ: alii ſponſæ ſangvinum ſunt per Martyria & mortificationis exercitia; Sponſiq; paſſi & vulnerati amore, nolunt eſſe ſine vulnere: ſed & vota Religioſa omnes illi arctiſſimè adſtringunt. Vinculum hoc triplex eſt indiſſolubile ex parte voventis; quod ſi votum ſit ſolenne, etiam ex parte religionis illud acceptantis. Hîc voluntas deſponſatur per obedientiæ votum: hîc ſponſo, qui paſcitur inter lilia, quilibet ſe deſpondet uni Viro virginem caſtam exhibere CHRISTO: hîc traditio ſuî & omnium bonorum fit cœleſti Sponſo etiam per Paupertatem. Habet hîc DEUS, quod tantopere deſiderat, animarum connubium ſine divortio.

3. O felix connubium, cælo plaudente initum! dos illius cælum & DEUS; Cor DEI & CHRISTI, cum quo efficeris cor unum, & anima una. Erunt duo in carne una! Dulce hìc Epithalamium ab Angelis accinitur, quod habes in Canticis canticorum. Ibi ſponſi dotes, ibi & ſponſæ decantantur, quas ſponſus auget, eam efficiens electam ut ſol, ut ipſe eſt electus ex millibus. Magna privilegia hujusmodi caſtorum ſponſalium; cùm homo tranſeat in familiam & divitias Sponſi DEI Hominis, Sponſi decori gloriâ, ſponſisq; reddentis præmia. Hinc cùm ad vota nuncupanda vel renovanda te invitat, dic: Ecce Sponſus venit, exi promptiſſima obviam illi; & vide, ut lampades accenſæ, nec ſine oleo Sanctorum operum & affectuum ardentiſſimorum ſint præſtò.

ENCOMIUM XV.

Cæli gaudia in Votis.

I.

DUplex hic gaudium intellige. Primum, quod cælum de Votis tuis percipit: Alterum, quo tu cæli gaudia videris prælibare in hoc votivo ſtatu. Quoad primum; præterquàm quòd ſtatus Pœnitentiæ, qui in Religione includitur, gaudium faciat in cælo ſuper pœnitentiam agente: Gaudet inſuper cælum hoc illuſtri ſpectaculo, quod exhibes; dum per calcatum pergis Patrem, & mundum, ad DEI obſequium & CHRISTI ſequelam: Gaudet ad vocem voventis, quam concupierat dicens: Sonet vox tua in auribus meis; Gaudet de novo cive Sanctorum & DEI domeſtico; de novo milite ſub vexillo CHRISTI: de novo augmento Regni CHRISTI in corde tuo: Gaudet, quòd imminuti ſint amici mundi, cujus amicitia inimica DEO: Gaudet ſic cæleſtia amari, quorum amore à te terrena calcantur. Vox Paupertatis cælum lætificat, quia cæli Reges multiplicat: caſtitatis vox Angelos cæli auget. & cantico illo, quod virginitas ſola canit, civitatem DEI exhilarat: Vox obedientiæ miram cælo harmoniam facit & concentum, ob concordiam voluntatis cum Divina per Superiorem indicanda. Silet cælum, dum hæc triplex in terris perſonat & cælos penetrat Symphonia, avidèque à cælo auditur.

2. Quoad

2. Quoad 2dum, quòd cæli gaudia in Religione & votis prægustentur; conjicere id licet, tum ex eo, quòd ubi similitudo cæli ibi & gaudiorum cæli: at hìc, ut in cælo non nubunt: neq; nubuntur, sed sunt sicut Angeli DEI: ut in cælo summa cum DEO & inter Cælites consensio, ac subjectio DEO perfecta; ita hîc magna ex parte; ut in cælo unicum negotium est, DEO frui, eumq; laudare; ut ibi juge gaudium, mæror exulat; ita hìc ipso ingressu Religionis dicimus; Lætatus sum, in domum Domini ibimus; item cùm status hic sollicitudine terrenâ exuat, & secura mens juge convivium eidem instruat; item cùm è cælo in statum hunc per vota initum destillent gaudia, propter quæ in Religione dicitur homo irrorari frequentiùs, & mori confidentiùs; deniq; cùm hìc etiam vivatur securiùs, ut in cælo summa securitas; quæ hìc cæli non relucet similitudo, & cælestis gaudii? Hìc etiam in terris castitas incipit illud canticum exultationis canere, in cælo continuandum: hìc obedientia loquens victorias, pæanem æternum inchoat: hìc votiva paupertas læta centuplo, spe promissi sibi regni cælestis exultat.

3. Creo Jerusalem, gaudium, ait Dominus apud Prophetam. Scilicet novæ hujus Jerusalem hæc denominatio: Gaudium vocatur, & est. Hæc Jerusalem est cælum; sed etiam Religioni nomen idem convenit. Nam paupertatis electæ effectus quàm hìc etiam jucundi! nulla turbarum, & divitum sollicitudo, & interim rerum sufficientia ex patrimonio & penu CHRISTI. Castitas quibus non libe-

rat malis, proinde mentem recreat: certè dum liliis inhæret, iis etiam in terras è cælis Agnum pertrahit, ut inter illa paſcatur, eorum odore recreetur. Væ item proprium voluntati propriæ, abeſt ab obedientia, qua inundat lætitiâ multiplici, tum quòd ſit mens non unius ſui conſcia triumphi obediendo parati; tum quòd ſemper nôrit voluntatem DEI, nec de illa anceps inquirere debeat; tum quia ſuam voluntatem, obediendo efficit Divinam. En hæc etiam terrena Jeruſalem, eſt merum gaudium.

ENCOMIUM XVI.

Militia CHRISTI in Votis.

I.

ETiam Religioſi vita, militia. Plures hìc hoſtes, ubi virtutis arena. Contra imbelle ſæculum vix arma capit Infernus; ubi ſine armorum etiam uſu triumphat: Sed in Religione, quia illi cum Heröibus pugnandum, labor eſt illi vincere, nolentem vinci. Hinc accedens ad ſervitutem DEI, jubetur præparare ad tentationem & certamen animam ſuam. Hìc enim pugna continua ſeu cum vitiis & habitibus vitioſis in ſæculo contractis, ſeu dum auſteritate vitæ, mollior erit debellanda; ſeu ubi ſe virtutis ardua offerent. Gaude attamen, quòd tibi non levium triumphorum anſa detur, quibus te vota reddunt obnoxium. Certa bonum certamen.

2. Sacramentum militare, quo ſub vexillo CHRISTI auctoratur Religioſus, eſt triplex. Voveo ſub eodem Duce militiæ CHRISTO, qui addit animos dicens: Confidite: ego vici mundum. Hic ille eſt Fortior armatus, qui ſic certare & vincere vult ſuos milites, ut ipſe prævivit. Certè tria hæc, quæ juramus ad aras, primus ille fecit. Neque ſine cauſa ſuum militem vult CHRISTUS Dux Pauperem; omnis enim, qui in agone eſt, ab omnibus ſe abſtinet. Unde Gregorius ait: Nudi cum nudis luctari debemus; & qui certamen init, veſtimenta abjiciat, ne ſuccumbat. Præterea jure exigit ſuorum militum obedientiam; quia ſemper imperiorum Ducis auctoritas eſt magna inter milites; imò plus eſt in imperio, quàm victoria. Denique molles animæ nunquam ſtatuêre trophæum; unde meritò & caſtitas in his etiam caſtris exigitur.

3. Inſuper contra triplicem hoſtem, triplex in votis ſumitur armatura. Vincit enim voto ſolidata ſeu confirmata virtus. Prima cohors hoſtilis ductrice Avaritiâ. Secunda voluntaria & mollis; ſed quæ Heroas multarum palmarum conſcios non raro profligat: Tertia duce Libertate, nata rebellare. Omnes hæ orbem vincunt; ſola CHRISTI caſtra illas ſuperare feliciùs norûnt. Illicium ſuperandi: Coronabitur, qui legitimè certaverit. Item quia hîc turpius vinci, eò quod laurea Orco conceditur;

ceditur; & imbelles sunt hostium vires, si te Heröem geras. Nemo enim magis imbellis, quàm qui vel unicum verbum, Voveo, horret; imo pueri etiam & tenellæ animæ de his hostibus triumphum obtinent. Præterea ad victoriæ conatum impellit fides CHRISTO data, quam nefas, & dedecus sit fallere: & qui vincitur hic ultro, aut è castris CHRISTI fit transfuga, eligit hic magis esse sub vexillo Dæmonis mundiq; DEO rebellis, suosq; milites per svavia stativa, & Campanas delicias ad interitum ducentis. Habes militiam: habes descriptum hostile ingenium: Ergo sub CHRISTO milita, triumpha, coronare.

ENCOMIUM XVII.

Hostilitas mundo indicta in Votis.

I.

NOvennis Annibal juravit se hostem Romanis fore, cùm per ætatem liceret; ad id eum Patre cogente. Alia tibi hostilitas incumbit, qui sub CHRISTO militas: hostilem animum debes gerere in mundum, & CHRISTI hostes. Nempè inimicus mundo, DEI amicus efficitur, ut è contra: in alios verò CHRISTI hostes justa odii & hostilis animi causa est, id ipsum, quòd sint hostes CHRISTI. Perit, qui contra DEUM arma capit; desipit, & cladis

cladis æternæ fit reus, qui cum CHRISTO inimicitias gerit. Aliæ hoſtilitatis cauſæ in aperto. Jugum mundi ſuper tot animas; eja excute illud. Item fraus & impoſtura mundi tot ſæculis turpiter illudens: eja fraudes detege, & ipſe fuge: Idem tot innocentes gratiâ ſeu vitâ animæ exuit: inter bruta homines redigit, dum rationi reluctari docet exemplo, & improperio virtutis: inducit inſuper ad idolorum ſervitutem, ſeu idoli aurei & Pluti cultum: ad bonum pecoris ſeu ad voluptatem impellit. Ad arma, ad arma: hoſtis eſt capitalis, bellum illi indicito, æternumq; hoſtem te illi fore, ad aras jura; aggredere turres hoſtiles, turrim carneam, turrim Babel, ubi confuſio.

2. Neque putes, id tibi primò à me ſuaderi: dum enim voviſti tria Religionis vota, jurâſti te hoſtem mundi æternum fore, illi in omnibus ferè oppoſitum. Cùm verò id odium profiteri cœperis vovendo; ipſa vota ſunt arma in mundum offenſiva. Nemo illi hoſtilior, quàm qui ſic vovet; & implet, quod vovet. Nam quorundam odio non ſunt diuturna: graviora odia, quæ æterna. Tale odium mundi, vota Religioſa gerunt; & tantò efficaciùs in conflictu, quòd ſit æternum. Imò peſſimè rei ſuæ conſulit & ſaluti, qui ad amicitiam cum mundo re ipsâ vel facto redit, utiq; inimicam DEO. Tu ergo hoſtis æternus illi eſto, ut ad aras promiſiſti, & promiſſa toties repetis.

3. Facti ſunt hoſtes ejus in capite; ſic de quodam Propheta gemens. Fœdum id, ſi non potiùs ſub

ſub pedibus hoſtes gemant. Nimirum pauci ſunt, qui ſacram hanc hoſtilitatem profeſſi, non arcano fœdere bella ſimulent potiùs, quàm inferant huic hoſti: hoſtes lingvâ, manu & animo amici. Hinc aliquando, juramenti ad aram facti nulla religio; nec ulla contrarietas mundo in quibusdam, niſi quòd inter hoſtes mundi degant veluti ab eo alieni, cui tamen nec moribus, nec voto ſeriò repugnant. Tu cave, ne his adjungare: amicitiam talem ejurâſti: ſint ſub pedibus hi hoſtes, non in capite vel corde.

ENCOMIUM XVIII.
Similitudo CHriſti, & ſimilitudo DEI in Votis.

I.

SImilitudo hominis in eis, ideſt, in illis quatuor ſacris animalibus; ſed in Religioſis ſimilitudo DEI Hominis. Similia dicuntur, quorum qualitas una: non eſt autem difficilè, talem ſe, quoad aliqua ſaltem exhibere in actu vitæ; qualis DEUS in carne. Qui ſtudet Chryſippo, erit dialecticus; qui Chriſto, erit in carne circumiens DEUS, dicebat Clemens Alexandrinus. Nimirum vitæ Chriſti imitatio, & ad tantum exemplar conformata vitæ ratio, hanc ſimilitudinem Theandricam imprimit: Relucet illa tum in aliis, tum in votis Religioſis, quæ Chriſto pauperi, cœlibi, & obedienti conformat Religioſos:

ligioſos: Similitudo DEI Hominis in eis; dic de quolibet: Vidi ſimilem Filio Hominis.

2. Amor ut facilè tendit in ſimile, ita ad ſimilitudinem contendit cum amato. Inter ſimilia enim faciliùs conſervatur amor; quia tunc perinde eſt, acſi ſeipſum diligeret, qui ſimilem. Porrò Chriſti Amor tam juſtè exigitur; ut ideo Paulus eum qui non diligit Dominum JESUM, anathematizet. Si ergo in ejus amorem ferri par eſt; etiam in ſimilitudinem cum illo par eſt tendere. Tendit in eam Votorum Religioſorum ternio; & tantò magis tendet, ſi, ut Chriſtus propter nos ſeu amore noſtrî factus eſt Homo, factus obediens usq; ad mortem crucis, factus egenus, cùm eſſet Dives; ita propter illum vota hæc & nuncupentur, & ejusdem amorem obſerventur. Difficultas quidem non una in votis occurrit; ſed Amor nomen difficultatis erubeſcit. Ergo dilige, & ob dilectum Chriſtum Domini quod voves, exprime, ſic te ſimilem Chriſto efficiet Amor.

3. Domine quis ſimilis tibi? non jam de Deo Homine, tantùm, ſed etiam de Deo trino & uno intelligitur hæc quæſtio. Fruſtra cum hoc ſimilitudinem ille ſomniârat, qui dicebat, ſimilis ero Altiſſimo; quia ſuperbiæ id votum fuit. Melior aliorum ſors ſpirituum, quorum cuique dicitur: Tu ſignaculum ſimilitudinis! ſanè ſimilitudo hæc Divina per vota Religioſo imprimitur. Nam ſi DEUS immutabilis eſt ac æternus, nullius indigus (& nullo egere, Deorum eſt, ait non nemo) ſi prima Trias Virgo eſt, ſi Deus non errat, nec illius voluntas errori ſubjacet;

hæc

hæc omnia ferè, vota religiosa exprimunt, adeoq; in quolibet similitudo DEI quædam relucet: dices singulis: Dii estis & Filii Excelsi omnes.

ENCOMIUM XIX.

Concrucifixio cum Christo in Votis relucens.

I.

MElius est crucifigi cum Christo, quàm eminere in throno. Quem admittit ille in suam crucem, majus est, quàm si beatum faciat in terra. Nam hanc beatitudinem ipsemet Christus refugit; non item crucem. Hæc illi throni ad instar, & dum eam bajularet, fuit tunc thronus ejus super humerum ejus. Affigere cruci Christi, qui regnare vis à ligno: Vita Religiosa dulce id lignum; & benedictus, qui pendet in hoc ligno.

2. Geminæ crucis meminit Paulus, cui se affixum gloriatur: *Primò.* CHRISTO confixus sum cruci. *Secundò.* Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Fuit ergo crucifixus mundo: concrucifixus Christo; aliter tamen mundo, aliter Christo. Mundo Crucifixus, quòd ab illo ita avulsus, & mundi ingenio; ut quæ hic amat, horreret Paulus; idem amaret, quod mundus odit. Hinc Paulo deliciæ in cruce, quam horret mundus, denique ad res mundi nec manum, nec animi vota extendit, ut Crucifixus manus pedesque (pes affectus significat, quibus anima incedit)

incedit) non movet ad rem ullam. At cùm dicitur Paulus Chriſto confixus cruci; tunc intelligitur affixus & Chriſto & Cruci, ſeu Cruci,& Crucifixo: id-eſt, Chriſto ob eximium in cruce erga nos amorem. Utraque crucifixio non Pauli ſolius eſt, ſed & Religioſi: Et mundo hic per vota Religioſa crucifixus; & Chriſto confixus. Nimirum hæc vota cruci Religioſæ affigunt, quæ crucem Chriſti exprimit, tam dulcem & amicam Chriſto, quàm inimicam mundo: affigunt & Chriſto Crucifixo, cujus amor tantò nos illi firmiùs adglutinat, quantò magis à mundo ſeparat.

3. Idem Apoſtolus dicebat: Stigmata Domini JESU in corpore meo porto: Stigmata hæc, ſunt notæ Crucifixi mundo & concrucifixi CHRISTO; Stigmata hæc manibus,pedibus, & cordi inuruntur; Etiam in Religioſo cordis corporiſque munditia in affectuum officinam cor jus habet; in manus paupertas,in pedes velox ad parendum obedientia. Qui hæc ſtigmata à votis gerit, etiam ille eſt veluti Chriſtus, & hic crucifixus, ſperandumque huic crucifixo illud: Propter quod & DEUS exaltavit illum. Exaltatio hæc ſumma, fiet in gloria; ſed fit etiam in terra; etiam hìc nimis honoratos volente amicos ſuos DEO, ſeu amicos crucis ſuæ.

ENCOMIUM XX.

Latria in Votis ac adoratio in Spiritu & veritate.

I.

DEI cultus proprius Latria dicitur, quem alteri non vult, nec potest cedere, qui non sit DEUS. Certè idololatras odit ob illum cultum exhibitum lapidi vel alteri puræ creaturæ. Exuit planè divinitate DEUM, qui vel cultum latriæ DEO negat impendendum, vel non soli. Colatur ergo DEUS cultu hoc sibi proprio. Et sic per vota tum alia, tum per Religiosa colitur; quia alia quidem vota nuncupantur DEO ut bonorum omnium largitori, vel pro beneficiis acceptis, vel pro impetrandis; Religiosa verò insuper hominem ultro perenni & perfectiori DEI servitio, ac per hoc etiam cultui DEI speciali addicunt, & subjiciunt. Hic verò cultus per votum soli est DEO proprius; cùm secundum D. Thomam Cap. 22. q. 88. a. 5. ad 3. Votum soli DEO fiat propriè; etsi fiat etiam in honorem Sanctorum; sed tunc etiam homo promittit se DEO soli impleturum, quod Sanctis promittit, certè votum est promissio facta DEO.

2. Adoratio DEO propria ad latriam spectat; a[c] nemo profundiùs DEUM adorat, quàm qui non g[e]nu tantum illi submittit, sed toto se illum adora[t], totâq; rerum suarum substantiâ. Sic autem Re[li]giosi

giosum facere nemo negat. Nihil est ille, nihil habet, quod non in cultum DEI despondeat, inter vovendum. Si adoratio in Spiritu & veritate exigitur, quoties ille vovet sua vota, sic in Spiritu adorat: omni illi genu tunc flectitur, externum & internum à vovente; imò omnia momenta vitæ sub votis religiosis, & in eo statu sunt actus perpetuæ hujusmodi adorationis: ideò enim vivit hìc quàmdiu vivit, quia vovit; ex latria ergo vivit. Unde semper hîc repetitur illud: Iterum iterumque adorent eum Angeli ejus: Et procidentes adoraverunt eum.

3. Virtus Religionis etsi latiùs sumpta significet, quod ait S. Jacobus Religio munda & immaculata est, immaculatum se custodire ab hoc sæculo, quod etiam facit Religiosus sæculum fugiens; Tamen strictiùs sumpta, est virtus DEUM ut primum rerum principium colere nata. Hæc enim excellentia perfectionis, talem DEI cultum imperat: suntque ejus virtutis quatuor actus; nempè consideratio infinitæ majestatis, à qua, omnia pendent. Consideratio nostri nihili ex nobis ipsis: dependentia nostra rerumq; nostrarum à DEO: pro fundamentis submissio, quam intus & extrà DEO exhibemus. Sic DEUM consideret, sic eidem se submittat, & servitio ejus subjiciat per Vota sua Religiosus, ut proinde latria & adoratio in votis contenta, sit eximius religionis actus. Quia verò ad Religionem eandem spectat sacrificium, hìc de illo agetur.

ENCOMIUM XXI.

Sacrificium in Votis.

I.

JUge ſeu perpetuum in Religione Sacrificium, quia durat toto vitæ tempore, poſtquam ſe quis per Vota inibi conſecravit. In veteri lege juge ſacrificium erat Agnus & Thymiama; quotidie enim bis adolebatur incenſum illud thymiamatis, & Agnus offerebatur, mane & veſperi. Juvat licetq; & noſtrum hoc repetere Sacrificium, non tantùm habitualiter in eo permanere. Tamen non offeratur Agnus ſine thymiamate; ſit ſacrificium in odorem ſvavitatis. Nimirum ea Sacrificio huic adhibenda in animo, quæ Sacrificium reddant acceptiſſimum: thymiama enim ex odoratiſſimis fit compoſitum.

2. Amor Sacerdos immolat. Sic Eccleſia canit de Diviniſſimo Altaris ſacrificio. Etiam hic idem Sacerdos Amor, adeoq; noſtrum etiam hoc ſacrificium Amoris eſt. Hic ſummus Sacerdos eſt; alii ſubordinati huic myſtæ ſeu victimarii; ut eſt voluntas heröica ſuî victrix in hoc ſacrificio cordis: ex virtute fortitudinis contemptus generoſior ſæculi eorumque, quæ per vota conculcantur: ſtudium ardentius cultûs Divini exquiſitioris in religione: voluntas ſancta imitatrix Chriſti & Sanctorum: voluntas æternis intenta, & appetens ſecuritatem ſalutis. Hi Sacerdotes hanc, de qua agitur immolant victimam, quibus additur à ſocietatem ineunte, zelus anima-

rum & gloriæ Divinæ; etsi hic sacerdos ad amorem, DEI utiq; & proximi referatur.

3. Multiplex hìc Sacrificium intervenit, est enim hìc sacrificium Abrahæ, ubi Isaac offertur. Est sacrificium Pauli adhortantis: Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra Hostiam DEO viventem, sanctam, rationabile obsequium vestrùm. Est hìc sacrificium Martyrum, qui de seipsis offerunt DEO sacrificia inter cruces, & hìc enim martyrium incruentum est, idq; perpetuum. Est hìc sacrificium justitiæ, atq; hostia pro peccato, ubi redditur quod DEO debetur & satis fit pro delictis in statu pœnitentiæ; unde etiam est hìc hostia pacifica: Est & sacrificium, de quo DEUS: Sacrificium laudis honorificabit me. Est & illud: Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino puta sæcularia: deniq; est sacrificium totale sui ipsius secundum omnia bona interna & externa, nihilque sibi homo relinquit, quod non sacrificet per Vota, & susceptionem statûs religiosi.

4. Ritus & finis hujus mystici sacrificii postulat, tum ut fiat oblatio munda; ad quod prævia Religionis præparatio omnibus communis juvat, & privata industria, tum ut fiat cum sancta & pura intentione Divini servitii & gloriæ majoris, nostræq; salutis ac perfectionis, nec non cum respectu ad alios fines sacrificiorum, puta gratitudinis, satisfactionis, & impetrationis: tum ut fiat affectu primitiali semper, in spiritu humilitatis, in ardore charitatis, cum promptitudine voluntatis; ut hilarem datorem di-

diligat DEUS; ut fiat juxta Ideam Sanctorum in unione sacrificii & oblationis Christi aliorumq; sese sanctissimè DEO devoventium, coram tota curia cælesti. Sed de modo agetur inferiùs, ubi de affectibus Renovantis Vota.

ENCOMIUM XXII.

Holocaustum in Votis.

I.

PArum est Sacrificâsse: Sacrifica holocaustificè. Ubi amor sacrificat, igneum sit sacrificium necesse est, quod totam victimam comburat. In aliis sacrificiis pars aliqua sacerdoti, aliqua populo cessit; in holocausto nil aliis, totum DEO; nec tam pro peccato vel gratia impetranda, vel obtenta, quàm purè in gloriam DEI. Excellens id sacrificandi genus quidni adhibeas.

2. Holocausta medullata offerã tibi cum incenso, ait Regius Psaltes; nempè qui holocaustum offert, offerat medullatum, pingve, quale ait Bellarminus esse, quod ex intimo corde & pingvedine quadam viscerosæ charitatis offertur. Si tale sit, bene ominandum his holocaustis. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta, DEUS. Hæc holocausta, etiam vota esse, colligitur ex alio loco Psalmi: Introibo in domum tuam, in holocaustis; reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Porrò vota hæc meritò holocausta dici queunt; quia

quia per illa totum se dat, & in igne amoris veluti concremat homo in DEI gustum, gloriam, & obsequium. Placebunt hæc holocausta, quoties fuerint medullata. Erunt, si Cælites æmulentur: nusquam enim (ait idem Bellarminus) perfectius est holocaustum, quàm in cælo, ubi Sancti omnes, se totos offerunt in igne perfectæ charitatis, nullâ parte animæ repugnante: tota enim actio & negotium est in cælo, laus & amor beatificus clarè cogniti DEI.

3. Ipse ingressus in religionem videtur posse quibusdam holocaustis præferri. Sicut de Christi ingressu in terras dicitur: Holocaustum, & pro peccato non postulâsti; tunc dixi: Ecce venio: dicit idem Ecce venio, qui ad religionem venit eiq; per vota incorporatur, quod ipsum præ aliis holocaustis acceptat DEUS.

ENCOMIUM XXIII.

Amor Dei in Votis.

I.

AMor spoliat omnibus in gratiam amati: sic notissimus Jonathæ in Davidem amor fecit: Nam Jonathas exspoliavit se tunicâ, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usq; ad gladium, & arcum suum, usq; ad baltheum. Idem exigit amor in Christum ardentior: sitq; id per Vota religiosa, quæ te rebus tuis, & te ipso illius amore despoliant. Trophæum hoc amoris est, spolia tua.

2. Ab aliquibus plus Christi Amor postulat, quàm ab aliis dicitq; illis: diligis me plus his? id est non tantùm, ut explicat Bernardus, plùs, quàm te, quàm tua, quàm tuos: sed etiam plùs, quàm alii: etsi nostrum plùs, respectu meritorum Christi sit longè minùs. Plùs diligit, qui & diligit, &, ut diligat perfectiùs, impedimenta perfectiùs diligendi amovet stabiliter; ponitq; sese in eo statu, in quo tendere debeat in perfectionem charitatis. Et talis est status religiosus, quem S. Thomas appellat exercitium tendendi in prædictam perfectionem charitatis, quatenus (verba sunt S. Doctoris) à se homo removet illa per quæ posset impediri, ne totaliter affectus ejus tendat in DEUM: quæ impedimenta voto triplici removentur. Quidni ergo dicatur hic plùs diligi DEUS?

3. Cùm amor operetur magna, si est; non mirum quòd in ejus indicium magna aliqua requirat DEUS à diligentibus illum; ut patet præter alios in Abrahamo requisito, ut immolaret Isaacum, quem tantopere diligebat. A te, dum te ad Religionem vocat, exigit: Oderis te, oderis mundum, si me diligis: conculca quod alii in corde gerunt, & sic amoris tui in me indicium dabis, tuo hoc Isaac immolato. Nec aliud facit ille per Vota, tum primò nuncupata, tum renovata, per quæ impulsu amoris Divini illa, quæ sedem amoris cor hominibus auferunt, à se abdicat. O ergo huc ire! ô sic amare! ô ex amore vovere! Nimirum nauseat amor in aliis, præterquam in suo dilecto super omnia.

ENCO-

ENCOMIUM XXIV.

Zelus in Votis.

I.

ZElus est summorum Virtus: nempè virtus Eliæ, virtus Joannis Baptistæ, in spiritu & virtute Eliæ Christo præcurrentis: Virtus Apostolorum, imò & CHRISTI, qui illud de se: Zelus domûs tuæ comedit me. Zelus hic aliquando est ira dolori permista, quòd DEUS vel Divina malè tractentur; & vitia dominentur, pulsâ virtute. Idem sæpiùs est quædam Amoris facula, ejusdemq; effectus, cui parum est in se ardere, nisi orbem Creatoris & virtutis amore incendat. Pulcherrima omnino Virtus! sed qui Religionem pro DEO & virtute zelantem per vota init, zelum hunc profiteri vult & incipit.

2. Geminatur per zelum illud sacrificium, quod in Votis contineri diximus, adeoq; & sacrificium suî per Vota, & Sacrificium zeli DEO gratissimum. Porrò Zelus voventis multiplex est. Primus est Zelus gloriæ divinæ majoris quæ per suî immolationem in DEI cultum intenditur. 2dus est zelus pro DEO, cujus servitio præfertur à plurimis servitus mundi, servitus diaboli, servitus peccati, servitus idolorum, inter quæ sunt idola Pluti (qui DEUS divitiarum Poetis) Veneris, Libitinæ seu deæ Lubentiæ at zelator iste in hæc idola insurgit, eaq; subvertit. Tertius zelus pro domo DEI, id est, anima, Religione, atque Ecclesia, quòd in ea sedem ponant, vel ponere sata-

gant quædam abominationes. Quartus zelus pro virtute, tum quatenus per opes & mundi amorem præceps fit in vitia delapſus: tum quatenus omnigenæ virtutis exercitium & perfectio in Religione, ceu Schola virtutum eligitur. Quintus eſt zelus animarum, cui ſeſe Religio impendit, proinde vovens vota religioſa etiam hoc ſtimulo ad ea incitatur, quòd velit, juxta illius inſtituti leges eſſe ſalvator quidam mundi; Orco eripere tot ſpolia animarum, cæli implere ruinas, nec pretium Sangvinis Chriſti in tot animabus velit perire quare dicit: Voveo, & millies Voveo ex tot tanti zeli motivis.

3. Sed adhuc in renovatione votorum par eſt zelare pro prævaricatione voti; ſi quæ fuit, & pro fide DEO ſanctè obligata, nec æque ſanctè ſervata, Dixeris. Tabeſcere me fecit zelus meus; quia oblitus ſum &c. Par item eſt tunc zelare pro fervore deinceps continuando in ſervandis votis, & ſtabilitate tanti promiſſi. Par eſt zelare tunc & pro bono Religionis, ac ſolatio; pro gloria accidentali noſtrorum Cælitum, & gaudio quod habent ex cultu DEI per vota confirmata repetito, ſuîque dedicatione ſemel facta, & toties ratihabita. Libenter ſic voveris repetitò.

4. Quia tamen idolum zeli vidit Ezechiel, & expavit, quod illud DEUS indignè tulerit in templo ſuo; nimirum idolum Muſcæ, ut aliqui exponunt, ſymbolum hominis otioſi, nec ſatis mundi; vel certè juxta aliorum interpretationem ideò dictum zeli idolum, quòd zelum ac indignationem DEO moverit,

ſic ſecum componi unum vile idolum, quodcunque fuerit: Ideo cave, ne vel tale aliquid in te ſit, quod zelum DEI & indignationem provocet; vel ne in te idolum ſit DEO abominabile.

ENCOMIUM XXV.

Liberalitas erga DEum in Votis.

I.

NEmo liberalior, quàm qui dat gratis omnia. Alibi per partes ſeſe virtus hæc effundit, cùmq; det plurimis, & ſæpe non pauca; plura ſibi relinquit. Et dat, & retinet. Certè actus Dominii in liberalitate quorundam exercitus non transfert dominium à ſe niſi in data; retinet quoad ſibi relicta. Aliter cum DEO agit ſanctior liberalitas, de qua agimus: totum hominem DEO dicat, totus homo ſe ſuaq; dat DEO promptiſſimè: ita dat, ut nihil ſibi relinquat ſui ipſius, ſuarumque rerum. Adeo effuſa hæc in votis liberalitas eſt ac pœnè prodiga; creſcitq; laus illius etiam inde, quòd ultro, quòd libenter, quòd gratis ſit liberalis, nam Amor non eſt mercenarius. Et dignus omnino hâc liberalitate DEUS quàm ſuâ majori provocat. Sic DEO dandum, à quo omnia, in eum refluant omnia.

2. Liberalitas ei maximè conſentanea, qui bonus eſt, ait Suarez, ideoque DEO propria, & in homi-

nem aliquid Divinum refundit. Porrò si elargitur aliquid ut egenti, misericordia est: Si ut amico, amicitia: si prout congruit vitæ politicæ & sociali, est liberalitas strictè accepta; tamen liberalitas hæc in DEUM, quæ in votis Religionis includitur, potiùs dat ex amore, & Christi imitatione, multarumq; aliarum virtutum motivis; unde tantò insignior est, quòd plurium virtutum decus in se transferat. Quantumcunq; autem & ex quibuscunq; motivis sanctis det; semper est infra liberalitatem DEI in se: nam & nemo liberalior DEO; & Christus, cùm posset guttâ, redemit te undâ, deniq; nihil pœneDeo das gratis cui tantoperè obstrictus es.

3. Inter vovendum Religiosus DEO & Religioni dicit illa Christi verba: Omnia mea, tua sunt; nempè bona omnia externa, & interna. Augetur tamen hæc liberalitas. *Primò*. Quòd hæc in perpetuum offerat. *Secundò*. Quòd ad omnimodam votorum suæ Religionis perfectionem se offerat. *Tertiò*. Quòd simul se offerat ad aliam omnem perfectionem, & sacra munia, obsequia, labores, onera, ordinationes, consvetudines illi Religioni proprias adeoq; etiam ad ardua quævis fini Religionis congrua; ubi etiam delationes, manifestationes conscientiæ, indifferentia ad omnia includentur. *Quartò*. Quòd eadem liberalitas se extendat ad proximos, quorum salutem & perfectionem ei procurare incumbet, qui per vo a Societatis se DEO totum tradidit. O pulchra liberalitas, inde felicior, quòd illam acceptet DEUS qui nullius eget.

ENCOMIUM XXVI.

Recognitio ſupremì Dominii Divini in Votis; & redditio tributi ac homagii Deo.

I.

SUmus tributarii DEI: at cui tributum; tributum: Tributum quidem datur Principi terreno, pro generali regimine; ſed ſupremo Principi omnium DEO etiam pro particulari regimine debetur; etſi ſola ſuprema ejus excellentia, Dominium in omnes naturale, beneficentia, Redemptio mundi & emptio noſtrî (Empti eſtis pretio magno) ſufficeret ad tributum à nobis exigendum. Porrò non vult aliud tributum DEUS à nobis præter nos ipſos; nempè ut illi demus quod eſt ejus. Redde ergo te DEO, à quo es, quidquid es: totum quod accepiſti, non eſt tuum; vel ſi tuum eſt, ſimul Domini univerſorum: quidni ergo moreris reddere alienum? Subde te tanto Domino, & tributi hujus penſione Dominium ejus recognoſce, & adora. Bonorum quidem tuorum, nempè, animi, corporis, & fortunæ non eget hic Dominus; Sed tu eges hoc Domino, quem niſi hiſce donis recognoſcas, faciliùs cum mundo deſeris. Bona item hæc meliora & ſecuriora reddis, eidem ſubjiciendo tributi vice; ſecuriora, quia jam erunt in manu & poſſeſſione nova DEI: melio-

ra, quia per hoc mala efficiuntur, quòd alteri subdantur, non DEO.

2. Tributum defraudare justum non licet secundùm communiorem sententiam, etiam Principi terreno: multò magis cælesti. Id quidem tributum per vota Religiosa exhibendum cùm sit de consilio, est tributum benevolentiæ; sed facto jam voto, ut jam non est de mero consilio, sed de præcepto impletio voti nuncupati; ita id tributum justitiæ ac fidelitatis jam erit; quod defraudare non licet. Ergo redde tributum utrumq; & Tributum benevolentiæ, & justitiæ. Vove, & redde; alioquin alibi reddes ad novissimum quadrantem.

3. Etiam inter nos & DEum quasi quoddam Feudum & Emphytheusis intercedit, ut enim in his duobus dominium directùm est penes Principem ac possessorem; feudatarius verò & Emphytheuta habet tantùm usum fructum rei; ita ut vasallus teneatur illud dominium in Principe recognoscere homagio per obsequium personale; Emphytheuta pensione aliqua; sic & nos par est, ut quoad omnia nostra geramus erga DEUM. Homagium & pensio illi deferenda es tu ipse: Vota id religiosa meliùs præstant, quàm Principi terreno Vasalli; quia te plenè summo Principi & Domino submittunt; exhibentq; illi pensionem, quâ vix est alia major; vel certè talem, extra quam nihil habeat ultra homo, quod det huic supremo Domino: sed Beatus, cujus Dominus DEUS ejus.

ENCO-

ENCOMIUM XXVII.

Omnis virtus in Votis.

I.

Actio virtutem illam induit, ex cujus motivo ac amore elicitur. Quia ergo ut aliæ actiones fieri, ita & vota instaurari possunt ex plurium virtutum motivo, ideo ut actiones aliæ, sic & votorum nuncupatio ad plures virtutes, earumq; præmium ac meritũ spectabunt, velut actus earum imperatus.

2. Adhuc tamen alio modo omnis vel multiplex virtus in votis religiosis relucet, ac includitur, præter tres illas virtutes, quas vovemus; tum quia status religiosus, in quo per vota collocamur, pœnè omnes exigit ac exercet virtutes; atque adeò illius perfectio, ad quam tendere debet, mutila esset, si plurium virtutum subsidio ac exercitio destituatur: Tum quia vota hæc ipsa plurimas virtutes, tum ad id, ut nuncupentur, tum ad id, ut eadem serventur præsupponunt ac requirunt. Nam nisi crederet quis promissa à DEO huic statui; nisi speraret futura bona pro præsentibus, timeret æterna, quæ faciliùs in hoc statu evaduntur, non facilè voveret. Suprà item ostensum, quomodo in votis Amor in DEUM, eximia Religio cultusque DEI, insignis fortitudo, & victoria suî heröica, zelus includatur. Est item hìc prudentia, quæ si juxta Augustinum est cognitio rerum, appetendarum & fugiendarum; ubi id magis elucet; si juxta Angelicum Doctorem pars

pruden-

prudentiæ dependet ab appetitu recto, & recta rerum electione: quid hic non tale videas? Et magnanimitas in re tam ardua, patientiæ studium & omnigenæ mortificationis, quam secum hic fert status; humilitati item hic locus est, hic temperantiæ, quæ in frenandis domandisq; sensuum oblectationibus versatur; & sic de cæteris. En ut multiplex virtus voventi religiosa vota adstipulatur!

3. Mulier illa fortis, de qua in Proverbiis Salomonis, unde habet, quòd ridebit in die novissimo sub districtum DEI tribunal? Respondent aliqui apud Salazar, quòd omni virtutum decore, qui animum ornare possit, fuerit ornata & vestita, ideoq; dicitur Fortitudo & decor indumentum ejus, & alii legunt pro muliere forti, mulierem Virtutis. Idem privilegium tribuit Religioso statui S. Chrysostomus, dum ait. Religio id habet; quòd homines hilares ac ludibundos ad DEI tribunal perducat; quia velut prædicta Mulier virtutis est; omnis ei virtus inest, ut ostendimus. Insignis laus ab omni virtute desumpta in vovente; sed præmium id non minus insigne.

ENCOMIUM XXVIII.

Quædam Divinitas in Votis.

I.

UBi relucent attributa DEI, ibi & Divinitas. In votis verò quàm non pauca elucescunt? sanctitas certè, & media sanctitatis singularia hic locum habet,

habet,ubi & vota.Quædam itidem omnipotentia eſt
in cæcè obediente, & miraculum eſt hujus omnipo-
tentiæ, dum cæcus ad ſui intellectûs contraria lumi-
na, ſine illis videt; ut mittam nota obedientiæ mi-
racula. Eſt hìc item independentia à terrenis; Eſt
quædam immenſitas; nam orbis totus religioſi eſt;
eſt ille civis mundi, in quavis orbîs plaga vivè repa-
ratus, ubi majus DEI obſequium per Superiores im-
pellat. Eſt hìc nullius rei indigentia, quædam di-
vinitatis nota. Eſt hìc immutabilitas ac æternitas
ſtatûs ex parte voventis. Eſt ſumma ſapientia, non
terrena ſapiens. Sic per alia licet diſcurrere DEI
attributa.

2. Eandem divinitatis notam in ſingulis votis
ſpeciatim vide. Nam obediens idem habet velle ob-
jectivum, quod vult DEUS, nec falli poteſt, dum pa-
ret majorum imperiis. Pauperi ſeſe divina provi-
dentia communicat, & Dominum cæli efficit. Puri-
tas verò omnimoda ſanctitati Divinæ fœderatur,
tantòq; quis divinior, quantò purior. O certè his
dixeris ſingulis iterum, Dii eſtis.

3. Quodſi opera quædam DEO ſunt propria, ut
creatio, conſervatio omnium, redemptio, juſtifica-
tio, gubernatio mundi; etiam voventi hæc ſuo mo-
do congruunt. Vota illum efficiunt novam creatu-
ram; vota firmant & conſervant in DEI famulatu.
Votis etiam quædam vis juſtificandi tribuitur hoc
ipſo, quòd ingreſſus Religionis baptiſmo quoad ef-
fectum comparetur. Mitto alia; ſi placet illud:
Eritis ſicut Dii, hìc pulchrius & ſecuriùs habetur,
quàm

quàm primis parentibus à serpente promissum, Et tales Dii fortes terræ vehementer elevati sunt à DEO.

ENCOMIUM XXIX.

Ornatus & splendor animæ in Votis.

I.

DE armis cujusdam est illud. Et armant, & ornant. Sic & Vota nostra armant in hostem & in constantiam virtutis, simulq; ornant. Decus & tutamen in armis. Ornant in terris, ornant in cælo. In terris sat ornamenti ab illis, quando tibi insignia Christi inducunt. Non item solius jam Pauli illa, sed & tua gloriatio; Ego vinctus in Domino: idem quippè est hìc armari, & vinciri. Vincula hæc sunt arma, quibusvis fortiora; eò quòd funiculus hic triplex difficilè rumpitur. Eadem tamen vincula quidni ut Petri & Pauli vincula monilibus præferantur? At in Cælo, ut eadem, ornant. Solem vincet hic decor, quem in animam refundent! Hi carbunculi vel adamantes tibi, ô Religiose, ibi distingvent coronam gloriæ.

2. Est præterea decus insitum virtuti, etsi præmio careret, utpote ipsa sibi pretium & merces, ipsa per se intaminatis pulchra nitoribus. At quantò insignior est virtus, tantò magis nativum hoc illius decus intenditur. Inter insigniores virtutes, Vota repone. Aliæ virtutes omnibus aut multis communes, etiam ethnicis.

ethnicis. Hæ Religioſorum ſunt propriæ: & cùm alias pleriq; ſectentur; ad has, ut ad ſtatum religioſum pauci aſpirant, opusq; eſt ad id impellente & vocante ſpecialiter DEO. Quid ergo? quantum hinc ornamentum, nec aliis commune redundabit.

3. De Chriſto Propheta: Splendor ejus, ut lux erit. An ergo non omne, quod ſplendet, lucet? Nimirum ſplendor reb⁹ etiam opacis tribuitur; unde ſplendor veſtium, ſplendor comitatus: & perpolitæ res ſplendicant, non lucent. Quæ autem lucent vibrant radium in alia quo ſe commendant. Lux fulgorem habet, & umbroſa illuminat; ſic & votorum ſplendor eſt, ſplendor lucidus, ſplendor illuminans Civitatem DEI, Religionem, Mundum, Cælum: ſplendor ut lux. Religionem virtutis exemplo: Mundum ſuî victoria: Cælum merito, & gloriæ gaudiiq; cæleſtis incremento: O ſic luceat lux noſtra.

4. Filiæ eorum circumornatæ ut ſimilitudo templi; Sic quarundam ornatum animarum Pſaltes deſcribit. Non enim ſic quidquam par exornari, ut templa Domini: quamvis hoc ipſum ſatis locum aliquem condecorat, quòd in templum Domini deputetur. Nec animæ DEO per vota deſponſæ aliud ſunt, quàm templum DEI, templum Beatæ Trinitatis, Baſilica Salvatoris; nam ejus obſequio, cultui ſeſe devovent, & de ſeipſis ſacrificia offerunt, hæc viva templa: Id verò ipſum mirificè illa exornat, & adhuc unusquisq;, dum ſe per pia devotionis exercitia aliarumqve virtutum comitatum ad prima vota, vel eadem devotiùs repetenda diſponit; conatur

tur superadducere huic Basilicæ Sacræ ornamenta quibus mirificè ornatus animæ ex votis redundans propagatur. Hanc certè, hanc ornatam monilibus filiam Jerusalem concupivit Dominus.

ENCOMIUM XXX.

Extinctio aliorum votorum & prævalentia in Votis Religiosis.

1.

TAnta est prærogativa votorum Religiosorum, ut aliis prævaleant, & pleraq; ceu luminare diei majus extinguant. Nempe per illa plùs aliquid vovetur & præstantius. Porrò duplicia hìc alia vota intelligo. Primò facta ante ingressum Religionis. Secundò facta in Religione independenter à Superioris consensu, vel cum eodem.

2. Quoad prima, Certum est auctoritate Juris communis, omne votum commutari in Religionem; & personalia omnia vota professione religiosâ extingvi, seu cessare; quia in ipsum Religionis votum perpetuum jure communi commutantur, &c. Scriptura, de voto & voti redemptione, aliàs ante professionem sunt suspensa. Quoad Novitios, docet Lessius, aliiq; posse in iis dispensari, seu suspendi eorum vota à Prælato; cùm satis graventur exercitiis probationis.

3. Quoad

3. Quo ad secundum; etsi minora aliqua possit validè & meritoriè vovere religiosus, quæ regulæ, vel Superioris præcepto non repugnant; adeoq; non requisito consensu Superioris illa tenere, ut docet Lessius, Layman. Cajet. Palud. Sylv. Nihilominus S. Thomas, a. 8. hìc ad 3. ait: Nullum votum religiosi esse firmum, nisi de consensu Prælati, adeoq; illius votis arbitrariis inesse tacitam conditionem, nisi Superior repugnârit, unde etiam omnia ejus vota hujusmodi supererogatoria irritari à Superiore posse docet sententia communiorum Angel. Nav. Silv. Sot. Less. Quia voluntas Religiosi est subjecta & dependens à voluntate Superioris in omnibus, quæ ad vitæ directionem pertinent; proinde & in novis obligationibus suscipiendis. Adeò votum obedientiæ prævalet aliis votis & obligationibus; estque velut inter ignes Sol & Luna minores! Hactenus Votorum in genere Encomia, quibus mens accendi poterit ad promptiùs vovenda, renovanda, exequenda.

§. II.

Quædam ad vota Religiosa generatim spectantia adducuntur.

Quæ adhuc de votis religiosis in genere post eorum elogia non incongruè insinuari possunt; hic proponentur; etsi pleraq; adhuc ad eorum laudem ampliorem referantur.

I.

Insignia quædam votorum religiosorum adjuncta.

I.

INcipio à votorum hujusmodi præstantia & dignitate, quæ ex his summatim colligitur: Tum quia in Christo sunt consecrata, qui eorum in se exemplar exhibuit; Tum quia consecrata in Beatissima Virgine Matre, quæ vota hæc se fecisse Divæ Brigittæ revelavit; Certumque est, eam primam vovisse Virginitatem, ut passim legere in Auctoribus licet: Tum quia consecrata in tot Sanctis, & cum CHRISTO jam regnantibus, & regnaturis. Tum quia votis hujusmodi postposita sunt à plerisq; regna & imperia, ut à Carolomano, Sigeberto, Ludovico Tolossano, aliisque, imò & summo Pontificatui S. Petrus Cælestinus, illa præposuit. Tum quia actus Religionis sunt, virtutes inter morales nobilissimæ & summæ. Tum quia hominem transferunt, in rem & specialem possessionem DEI: Tum quia in se habent quiddam heröicum, ut supra; tum ob sequentia.

2. Votorum ejusmodi efficientia hinc colligi potest: tum quia Reges sui ipsius efficiunt, regnique cælestis hæredes; Tum quia Judiciariam cum CHRISTO potestatem sibi ex ejusdem CHRISTI promisso vendicant; Tum quia efficiunt

Religioſum, ſeu unum ex illuſtriori portione gregis Chriſti: Tum quia tot cœleſtes gratias ſecum trahunt.

3. Votorum Religioſorum valor & meritum eſt duplex in quolibet voti exercitio; nempè tum virtutis meritum, in quo fit actus: tum religionis; ut & duplex demeritum transgreſſoris. Item meritũ gratiæ & gloriæ actui heroico proprium huc pertinet, quod vota hæc præripiunt minoribus actibus. Item ad Baptiſmi vim ac effectum, imò & Martyrii evehuntur hæc vota auctoritate Patrum; quo quid inſignius in ratione valoris ac meriti? Deniquè in una lance ponantur bona opera boni Religioſi; in altera lance opera boni ſæcularis hominis; videbis hoc idem, quod mortuo Philippo Secundo Regi Hiſpaniæ & noſtræ ſocietatis Fratri contigit; nempe revelatum fuit Fratrem illum ita præcellere Regi in Cælo, ut gradus in Religione depreſſior & abjectior Regia illius in terris majeſtate excedebatur.

4. Votorum Religioſorum pretium indicat, tum Cælum, quo rependuntur, tum centuplum; tum quia teſte Scripturâ ſacrâ non eſt par pretium & digna ponderatio continentis animæ; tum quia ſtatus hujusmodi electio, eſt illius pars Sapientiæ, quæ dicitur melior opibus & argento electo. Bonum mihi lex oris tui Domine (quales etiam leges ſunt religionis approbatæ) ſuper millia auri & argenti; tum quia ſtatus hic cum obligatione votorum quaſi emitur jacturâ voluntariâ omnium terrenorum.

5. Voto-

5. Votorum eorundem utilitas, præterdicta hinc noſcitur. Firmant voluntatem in bono: Plus conferunt, quàm auferant; nempe offerunt tibi cælum pro terra; pro te ipſo, DEUM; Item præmia ſingularia in cælo ſingula vota conſequuntur: Præterea evaduntur tot pericula ſalutis, quæ mille & plura ſunt in ſæculo nequam; unde hìc etiam de Religioſo dici poteſt: Raptus eſt (de ſæculo) ne malitia mutaret intellectum ejus, vel ne fictio deciperet animam illius. Huc pertinet aſſecuratio ſalutis per illa Salvatoris verba: Omnis, qui reliquerit Patrem & Matrem, aut agrum, &c. propter nomen meum, vitam æternam poſſidebit, Matth: 19. Huc ſpectant, privilegia Religioſis conceſſa in vita, in morte & æternitate; innumeri theſauri meritorum ſui ordinis: Satisfactio facilis pro delictis; deniq; illæ notiſſimæ utilitates ſtatûs religioſi ex Bernardo: quòd hìc homo vivat puriùs, cadat rariùs, incedat cautiùs, ſurgat velociùs, irroretur frequentiùs; quieſcat ſecuriùs, moriatur confidentiùs, purgetur citiùs, remuneretur copioſiùs.

6. Obligatio votis adjuncta, quæ quidem ad eorum obſervantiam adſtringit, ſub peccato; laudem tamen eorum non minuit, nec eſt oneroſa; tum quia ſponte ſuſcepta eſt, & affatim gratiæ cæleſtis datur ad implendam; tum quia voluntatem facit erectiorem ad actus voti eliciendos: tum quia majora onera inducunt alii ſtatus & officia cum minori utilitate, ac præmio, tamen in iis onus leve; tum quia hæc onera & adoleſcentes ferre poſſunt, & ferunt.

Excel-

II.

Excellentiæ quædam in Votis Societatis, eorumq́; ab aliorum Votis diſtinctio.

I.

FIni excellenti Societatis par eſt & media quoad excellentiam reſpondere. Hæc inter ſunt etiam vota, quæ ſi aliquid ſingulare ac præter quorundam morem, certè & hìc. Et ſanè pulchrum eſt in votis excellere. Si hæc Religioſum conſtituunt; tantò hic melior, quantò & illa per quæ Religioſus conſtituitur. Porrò Societatis Vota habent aliquid excellentiæ ſingularis.

2. Prima excellentia eorum eſt, quòd ſint ad finem excellentem, quem ſibi præfixum habet Societas; ſcilicet quàm maximè, quàm latiſſimè glorificandi DEUM, ejusq́; gloriam in ſe & plurimis propagandi, eorum æque ac ſuæ ſaluti & perfectioni inſudando. Certè quidnam inſignius videatur, quàm ibi ſe ad famulatum DEI voto obſtringere, ubi finis tam præcelſus; & ubi tot & inſignia DEO præſtanda obſequia?

Secunda excellentia, quòd Vota Societatis quo ad ſui perfectionem, prout in Conſtitutionibus præſcribitur, habeant aliquid ſingulare, &, ut Suarez Tom.

4. De Relig. oſtendit aliquid præcellens, quod in aliorum Votis nec regula, nec conſvetudo exigit, ut ibi videre licet.

Tertia excellentia; eo ipſo quòd Societas habeat inſigniora & plura media perfectionis, ut ſunt Meditationes, Exercitia ſpiritualia, Recollectiones ſemeſtres, & annuæ, Examina Conſcientiæ, uſum frequentiorem Sacramentorum, Manifeſtationem Conſcientiæ, Tertium annum Probationis, &c. Certè qui aſſumit per vota tale vivendi genus, an in vota & voventem non aliquid excellentiæ refundetur?

3. Diſtinctio votorum Societatis ab aliis Ordinibus ex his intelligetur. Primò, Vota ſimplicia Societatis ſine Profeſſione ſolenni faciunt verum Religioſum ex definitione Gregorii XIII. Secundò, Votorum pluralitas eſt in Societate: nam Profeſſi quatuor Votorum, præter quatuor ſolennia Vota, inter quæ eſt Votum Obedientiæ ſummo Pontifici quoad Miſſiones, vovent inſuper quinque alia Vota ſimplicia: Item Profeſſi trium Votorum, præter tria ſolennia, vovent illa eadem quinque Vota ſimplicia. Præterea Coadjutores Formati Spirituales tria ſimplicia Vota: Scholaſtici ante gradum certum vovent tria Vota ſimplicia communia Religioſis (& aliqua aliter modificata, ut mox dicetur) & inſuper quartum Votum de acceptando gradu vel Profeſſi vel Coadjutoris ſpiritualis, prout Superioribus viſum in Domino fuerit. Tertiò. Votorum diſſolubilitas tum Scholaſticorum, tum Spiritualium Coadjutorum

rum

rum ac temporalium per dimisſionem è Religione Profeſſorum item per alterius Religionis Profeſſionem. Quartò. Votum Paupertatis in Scholaſticis ante abdicationem bonorum, compatitur dominium directum ſeu proprietatis bonorum; & tantùm uſum eorum, ac de illis diſpoſitionem independentem à Superiorum conſenſu prohibet. Profeſſorum Domus ex Eleemoſynis vivit, nec dominii capax, niſi reſpectu templi, domûs, & horti. Paupertas item Societatis nil occluſum Superioribus gerit, pro miniſteriis nil accipit, quod ad Votum hoc pertinere latè probat Suarez ſuprà. Quintò. Votum Caſtitatis etiam ſimplex in Societatis perſona eſt impedimentum dirimens. Eadem quo ad caſus reſervatos eſt ſtrictior, quàm ſit in decreto Clementis VIII. pro Religioſis omnibus. Imò Societas etiam docere ſub gravibus cenſuris & peccato mortali prohibet ſententiam de parvitate materiæ in delectatione contraria puritati ſeu caſtimoniæ. Sextò. Votum obedientiæ etiam eam perfectionem ſectari volunt conſtitutiones, cui nil ferè addi poſſit. Ex his ergo patet Votorum Societatis differentia ab aliis Ordinibus Religioſis.

4. Illud inſuper ſingulare eſt, quòd in votis obſervat Societas; nimirum holocauſtum tam gratum DEO non ſat eſt ſemel feciſſe, ſed urget ad ſæpius iterandum. Hinc eſt votorum Renovatio bis in anno cum prævia ſolenni præparatione inſtitui ſolita. Pulchra hæc adinventio, nec fructu ubere caret, ubi

cum votorum renovatione renovatur & ſpiritus, Diviniq; ſervitii fervor. Nec illum fructum taceo, quòd Layman & Villalobos doceat, non tantùm primam votorum emiſſionem, ſed etiam eorum Renovationem conferre omnium peccatorum remiſſionem; etiamſi interno actu quis tantùm renovet, ut cenſet dictus Villalobos.

III.

Vindiciæ ſeu arma pro Votis: ſeu contra votorum neglectum invectiva.

1.

ABdias Propheta conqueritur coram DEO: Omnes Viri fœderis tui illuſerunt tibi: invaluerunt adversùm te viri Pacis tuæ. Tu es ille vir, quisquis es votorum prævaricator! fœdus cum Deo per illa iniviſti, & ſic illudis Creatori tuo? Vir pacis eſſe debueras, & ecce bella moves? vide quem in bella provoces, ô ruptor fœderum, contra quæ agere audes; etſi ruptores fœderum horret damnatq; ipſum Jus gentium etiam barbararum.

2 Alterum fulmen excipe à Jeremia, qui meritò in te invehitur: A ſæculo confregiſti jugum, rupiſti vincula! ſiccine qui relicto ſæculo ſvave Chriſti jugum ſubjîſti, illud protervè factis excutis? At hoc

filiorum

filiorum Belial eſt, qui ſunt abſq; jugo. Sic item rumpis vincula, quibus te DEO obſtrinxiſti? Atqui hoc triplex Voti vinculum Sponſalitium eſt, quod te Chriſto deſpondet animarum Sponſo; vinculum autem hoc indiſſolubile tu diſſolvis?

3. Arma adhuc alia ex Scripturis in te contorques, quæ perhorreſce ſingula. Contra te ſtringit aciem Verbum DEI penetrabilius gladio ancipiti, dum illa in te congerit, quæ audi: Non es mentitus hominibus, ſed DEO. Diſplicet DEO infidelis promiſſio. Melius eſt non vovere, quàm promiſſa non reddere. Vidi prævaricantes, & tabeſcebam. Væ filii deſertores! Hæccine reddis Domino, popule ſtulte? incraſſatus, impingvatus, dilatatus recalcitras? Dicis quia diligis me, & mendax es; velut illud non audiſſes: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Ergo quod voviſti, non moreris reddere. Redite prævaricatores ad cor: Vovete, & reddite omnes, qui in circuitu ejus affertis munera, terribili, & ei qui aufert Spiritum Principum terræ, &c.

4. Arma alia à ratione I. Impudens es, & imprudens, ſi votorum prævaricator: impudens, quia cùm te pudeat homini alicujus auctoritatis fallere fidem, DEO fallere non pudet; & hinc etiam imprudens es; quòd non advertas, cui potius ſit ſervanda fides, homini an DEO. II. Nemo ferret, ſi illum aliquis furem, raptorem aut adulterum palàm vocaret; ſed ipſe de ſe cum Phariſæo dicit quiſq;: Non ſum, ſicut cæteri, raptores, adulteri. Sed facta quid ſi con-

ſi contra illum clament; & palam aſſerant furem, & raptorem; quia clam & palam facit plurima; & quòd ſeipſo ac aliis rebus utatur invito Domino, adeoq́ue contra Vova protervè agens faciat rapinam manifeſtam in holocauſto. Adulter item eſt, qui Sponſo Chriſto datam fidem non ſervat. At perdes eos, qui fornicantur abs te, clamat Propheta. III. Vis eſſe in rerum natura? non es, ſi ceſſet actio creativa & conſervativa tuî, ſi ceſſent conſtitutiva tui. Tua exiſtentia non eſt in rerum natura, niſi exiſtentia Religioſi: non enim exiſtentia cujuscunq́; hominis vel ſæcularis, vel vitâ functi, ſed viatoris Religioſi. Quid autem te Viatorem Religioſum conſtituit, niſi Vota? Si ergo hæc tui conſtitutiva ceſſent, vel ſint quidem, ſed perinde ac ſi non eſſent (perinde autem eſt, ac ſi non eſſent, ubi eorum exercitium ceſſat, & contrarium illis fit) quomodo jam tibi non adimis eſſe in rerum natura? certè nomen tibi adimis Religioſi, quia cùm tibi id nominis Vota conferant, tu vim & naturam Voti facto ipſo tollis; nam Votum eſſentialiter includit obligationem ſui ad implendum, quod quis Voto promittit; tu verò hanc obligationem Voto adimis, nec vis ineſſe. IV. Neglectus Voti, eſt neglectus præcepti; etſi enim Votum erat ſub ratione conſilii, antequam emitteretur; ſed emiſſum DEUS implere præcipit, eſtq́; ad id obligatio ſub peccato, at conſilia liberum eſt amplecti & exequi, non item præcepta. V. Neglectus Voti, eſt neglectus fidelitatis erga DEUM ex

promiſſo

promiſſo debitæ; at ſi fideli ſervo dicitur: Intra in gaudium Domini tui; an haud fideli aditus in idem gaudium non præcluditur? VI. Cor cuſtodis, quia ab ipſo vita procedit: etiam à Votis vita & eſſentia Religioſi dependet; ſi ergo hoc cor tabeſcat, & ictibus lethalibus vel diſponentibus ad mortem impetatur; an vitæ ſpes ſupererit, & non potiùs cadaver id Religioſum putabitur? VII. Si Vota negligis; etiam DEUM parvi pendis, cui fidem fallere pro minimo ducis. Plura non obligatus tibi fecit, facitq; in tui gratiam DEUS. VIII. Ad hæc quæ te maximè coram DEO nobilitant, coram hominibus illuſtriorem efficiunt; ſic parvi æſtimes? IX. Magiſnè deſipis, cùm ſapere magis proceſſu temporis debuiſti, inter tot gratias & doctrinæ Spiritualis augmenta? Ante Vota ſapienter Cælo plaudente Vota elegiſti: & nunc ea, gaudente Orco proculcas? X. Deniqúe Judices futuri Religioſi, mundum judicaturi: Sed tu potius judicandus; nec ſedebis Judex, ſed ſtabis reus. Non poteſt quisquam reatus illud tribunal effugere, at te reum votorum prævaricatio facit. Ergo reſipiſce, & tot Judices non irrita. Concipe univerſale propoſitum, Vota ut pupillam oculi, quæ nec pulviſculo ſe temerari patiatur, obſervandi.

IV.

Judicium Religiosorum; seu Dei Tribunal in Vota Religiosa.

I.

UNusquisque onus proprium portabit, atque ad illud tribunal deferet. Porrò ut sæculares aliud forum in terris habent, aliud causæ Spirituales & personæ: ita Religiosi, & illi à quibus plus exigitur, aliud Judicium seu districtius; aliud subibunt illi, qui paucioribus gratiis & lumine præventi. Ergo ante Judicium surgite Religiosi (utiq; mortui mundo) surgite ad Judicium. Ita illud nunc subite ultro, ut postea subituri omnino; vel ne potius subire illud mereamini. Sit in mente hoc Judicium, ne fiat in re.

2. Aliter Babylon, aliter Jerusalem judicabitur, ad unius Jerosolymæ denominationem procul dubio status Religiosus pertinet: nimirum scrutabitur Judex Jerusalem in lucernis. Lucerna Agnus, lucernæ tot Sancti solis instar collucentes: Lucerna, DEI perspicacia & omniscientia, cui aperta omnia nihilq; illam latere potest: Lucerna, apertio Conscientiarum, ad majorem confusionem malorum, laudem & gloriam bonorum: lucernarum deniq; nomine hic intellige diligens & districtum Scrutinium,

um, ut illius mulieris drachmam unâ accensâ lucernâ quærentis, diligentia in quærendo exprimitur. Plures hìc lucernæ, quia accuratior inquisitio, ob gravius Judicium. Judicii gravioris causam indicat Gregorius monens cavendum, ne qui plus cæteris ab Auctore Mundi accepimus, gravius judicemur; At hìc plus gratiarum ad vitanda peccata, & exercitium bonorum operum; plus opportunitatis, plus temporis, plus exemplorum, plus stimulorum, plus obligationis. Aggravabitur ergo Judicium, quia dicetur: Seminavimus multum, intulimus parum; feliciorq; tunc erit ille, cui dicetur. Intra in gaudium, quia in pauca fuisti fidelis.

3. Cuidam dicitur in Apocalypsi: Habeo adversum te pauca: sed quid si dicatur: Habeo adversum te plurima? Et certè in tepidiori Religioso non pauca sunt, quæ crisim illam timeant. Mitto aliqva graviora vel scandala; mitto mala alia commissa, bona omissa, bona malè peracta; mitto mendacium vitæ sanctioris in quibusdam, neglectam disciplinam Religiosam vel laxatam; Divina non divinè obita, temporis & talentorum abusum: Sed districtior ratio timenda etiam de Votis Religiosis, rigorque Judicii augebitur, tum ex Voti obligatione comperta & penetratione debiti, tum ex toties jurata DEO promissione per votorum renovationem: tum ex toties repetita Voti prævaricatione contra tot instinctus & remorsus conscientiæ ac Superiorum monita; tum ex scandalo per hoc pluribus da-

to ad ſimiles votorum transgreſſiones; tum ex cauſarum & occaſionum ad prævaricationem contemptibili levitate; tum ex oppoſita promptitudine partim ſæcularium DEO in promiſſis exequendis, ſervorum Domino ſuo in obſequiis debitis exhibendis; partim aliorum religioſorum tum de hac, tum de alia Religione in votorum obſervantia excellentium. Hæc feciſti & tacui: ſed jam arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

4. Aderit huic Judicio de Votis actor Judex, & teſtis Patronus Ordinis: Angelus ejus Ordinis Tutelaris; aderunt obſervantiores ejusdem Ordinis, aderunt alii Religioſi, & ſequaces Chriſti, inter quos inprimis Apoſtoli, ex quibus Paulus minatur: Neſcitis quia Angelos judicabimus? ubi nil impedit & Religioſos intelligere, quos Angelos terreſtres vocat Bernardus, & caſtitas votiva efficit; maximè cùm Divus Thomas neget veros Angelos judicio diſcusſionis judicandos; qvia nec in bonis Angelis eſt qvidqvam mali, nec in bonis qvidqvam boni eſt ad hoc judicium pertinens. Aderunt & ſæculares ſcandalum paſſi, vel in ſuis factis eximii: aderit teſtium adinſtar mille conſcientia. Objicietur malo: Rupiſti vincula, & dixiſti; non ſerviam. Hìc exprobratio, hìc irriſio & confuſio, hìc acerrima objurgatio hìc decreti acerbitas cogitanda. At bono laus erit à DEO, & à toto Judicum conſeſſu: minima ejus Voti obſervatio plauſum non evadet. Dicet & ipſe: Fidem ſervavi: ideoq; repoſita eſt mihi corona ju-

ſtitiæ,

ſtitiæ, qvam ecce dat mihi juſtus Judex. Forma decreti in talem: Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

V.

Æſtimatio Beneficii Vocationis Religioſæ ſæpius repetenda.

I.

ÆStimationem ſtatûs Religioſi facilè inducet ejus dignitas, ſecuritas, utilitas, jucunditas, allata ſuperiùs votorum Encomia; & quæ ſeqvuntur. Nam hic ſtatus eſt ſummum beneficium, ſi ſpectetur tum quoad terminum à quo, id eſt, à ſæculo nequam, & expoſito tot periculis ſalutis ac ſollicitudinibus vitæ; tum quoad terminum, ad quem à ſæculo tranſimus. Eſt ſtatus hic Reſpubl. DEI viventis: ſtatus vitæ Chriſti & Apoſtolis conformis: ſtatus ſimilis Prophetico, ſimilis Angelico: cænaculum Chriſti, ubi excellentior & crebior SS. Euchariſtiæ uſus, & Spiritûs Sancti inter tot lumina deſcenſus ac felix illapſus: Locus rectè de caducis fluxisq; mundi rebus ſentientium: Ubi diſcipuli Chriſti, Amici DEI, Cives Sanctorum, Domeſtici DEI, hæreditas & ſpecialis poſſeſſio DEI, milites ſub vexillo Chriſti: ſtatus nobilior omni mundi dignitate, omni volu-

ptate ſuavior; remotior ab occaſione peccandi, ab impedimentis ſalutis, laqueis diaboli; plenus mediis ſalutis: inſtrumentum ad omnimodam perfectionem: omnigenæ virtutis palæſtra, palæſtra bonæ mentis: ſtatus ſub peculiari protectione DEI & providentia ſpeciali, ex patrimonio Chriſti victitans: ſtatus violentorum, qui Regnum cæli rapiunt: ſtatus non diſpar Baptiſmo & Martyrio quoad effectum ſalutis: ſtatus quidam Beatorum in terris, quibus dicitur: Beati pauperes quorum, &c. Eſt Paradiſus voluptatis, & primo paradiſo felicior: Eſt theſaurus abſconditus ab oculis mundi, & eorum, qui terrena ſapiunt: Eſt gemma pretioſa, quam qui invenit, præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habuit, & emit eam: Eſt juge convivium; Eſt templum pacis & tranquillitatis conſcientiæ: Eſt anchora ſalutis; Eſt mons ſalutis; ſalva te in monte hoc: Eſt arca Noë, extra quam diluvium & interitus facilis: Eſt mons aromatum de quo illud: Fuge dilecte in montem aromatum.

2. Præterea æſtimatio Religioſæ Vocationis augebitur tum ex Chriſti promiſſis, puta judiciariæ poteſtatis, centupli, & Vitæ æternæ; tum ex Sanctorum ſententiis, quas Platus & Lancicius congerunt, uti & illa Bernar. ſententia ſuperius allata: In Religione homo vivit puriùs, moritur confidentiùs, remuneratur copioſiùs: Tum ex particulari præſtantia cujusvis Inſtituti, tot Sanctis inſignibus Ordinum, tot fructibus animarum, tot privilegiis & be-

neficiis

neficiis cælestibus. Juvat hic etiam 7. Psalmos considératiùs decurrere, in quibus etiam Religiosæ vitæ latent encomia, nimirum Psal: Fundamenta ejus in montibus sanctis, &c. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c. Quam dilecta tabernacula tua, &c. Qui habitat in adjutorio altissimi, &c. Lauda Jerusalem. Nisi quia Dominis erat, &c. Magnus Dominus, &c.

3. Æstimatio Vocationis ad Soc. JESU potest adhuc augeri tum ex eo, quod refert P. Nicol. Lancicius Opusculo de præstantia Instituti hujus, ex quo colligitur, hic degere & perseverare notam prædestinati esse ac inscripti in librum Vitæ: Tum quòd huc admitti, sit admitti sub pallium Marianum, ut vidit P. Martinus Guttierez: Item admitti sub crucem bajulantis eam Christi, ac esse Socium Crucifixi, ut ex visione S. Patri Ignatio oblata cælitus constat: item est admitti inter servos Filii DEI laborantes usque ad defatigationem, us nos P. Joanni Nunnio descripsit B. Virgo; unde sperari possit illa retributio: Venite ad me, qui laboratis & ego reficiam vos. Ut omittam excellentiam finis, Gratias cælestes copiosissimas, eximium lumen internum, eximia salutis ac perfectionis media, eximios Sanctos, tot Martyres, tot Doctores orbi Christiano perutiles, tot Christi indefatigabiles operarios, tot victimas Charitatis, tot fructus cælo & orbi partos.

4. Ex his & similibus inferes Primò, illa: Elegi abjectus esse in Domo DEI: Aperite mihi portas ju-

ſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: Hæc porta Domini, juſti intrabunt per eam: Hic habitabo quoniam elegi eam. Introibo in Domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea. Vale ſæculum, ſalve cælum; ſalve mi DEUS, cui me dedico in æternum. Tunc dixi Ecce venio: Fidelis DEUS per quem vocati ſumus in Societatem Filii ejus JESU CHRISTI. Secundò hinc inferes obligationem gratitudinis pro tanto beneficio: ſit hæc gratitudo quotidiana, ſit annua ſolennior, recurrente die ingreſsûs in Religionem, die Profeſſionis vel Gradus, uti & Sacerdotii Religioſi. Tunc exhibe quidquid in opere, in mortificatione, in Sacrificiis, in piis induſtriis tanti beneficii ſvaſerit magnitudo.



DIES
TERTIUS
Tridui Renovationis,

De Votis Religiosorum, in particulari.

§. I.

Vota Religiosa in particulari.

Allata sunt eorum encomia in genere; nunc primò propria laus singulorum attingetur; deinde ea, quæ à singulis exiguntur.

I.

Religiosæ Paupertatis encomia.

I.

PAuper Christi, est Rex cæli: ejusdem hæc hæreditas, quæ DEI ac Beatorum. Beatus nemo dici potest ex eo præcisè, quòd sit dives; at Beatus à Christo dicitur, Pauper Spiritu, eique ibidem Regnum cælorum addicitur.

2. Pauper Christi est major Regibus mundi, quia id apud illum sub pedibus, quod apud Reges in capite & in corde; nempè aurum & thesauri mundi. Major Regibus, quia similior pauperi Christo: major, quia non est sub potestate & in compedibus avaritiæ. Felicior item Principibus & divitibus sæculi, quia minus sollicitudinibus obnoxius, quæ illis somnum & quietem adimunt: felicior; quia divites eguerunt & esurierunt; at hic non deficiet omni bono.

3. Pau-

3. Paupertas Religiosa habet super alios homines, qui sunt sub communi & ordinaria DEI providentia; quòd hæc sit sub speciali & sæpè extraordinaria. Sanè hujus paupertatis est manus DEI, velut Cornucopiæ; illa, inquam, manus, de qua illud: Aperis tu manum tuam, & imples benedictione tuos: Quoniam ipsi cura est de nobis. Si cui certè, huic pauperi dicitur: Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.

4. Paupertas hæc est quoddam sanctissimæ usuræ genus. Cum cælo hic usurarius contractum exercet, à quo cum fænore omnia recipit supra sortem. Nempè pauper hic fæneratur Domino cæli, à quo pro obolo accipit mille, pro terra cælum, pro re una in centupla proportione eandem vel æquivalentem.

5. Paupertas hæc est miraculum perpetuum Beati illius proprium, de quo Ecclesiasticus ait: Beatus qui post aurum non abiit, &c. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

6. Paupertas eadem est species libertatis & excussi jugi turpis & onerosi, de quo dicitur: Pecuniæ obediunt omnia. Crates etiam projecto in flumen auro se à se libertate donatum credidit.

7. Eadem periculis quibusdam eximit, partim illo: Difficile dives intrabit in Regnum cælorum; faciliùs camelus per foramen acûs: partim illo periculo, de quo Apostolus 1. Timoth. 6. ait: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva,

quæ mergunt hominem in interitum & perditionem: Radix enim malorum omnium cupiditas. Hæc Apoſtolus.

8. Paupertas eadem eſt quoddam martyrii genus juxta SS. Patres: Unde ſperet laureolam quandam martyrio ſimilem. Imo camino illam S. Scriptura comparat; & tamen in hoc igne cum S. Theodoro Martyre canit: Benedicam Dominum in omni tempore.

9. Regnis poſtpoſita hæc Paupertas. Sic Pipinus regno clauſtrum prætulit; Caſimirus Monachus Principatui Poloniæ; Joannes Caſimirus Regis Sigismundi III. Filius Societatem iniit ante Regnum. Infulæ etiam clauſtro poſthabitæ: Sic S. Bruno Rhegienſem Infulam detrectavit, juxta illud diſtichon: Reſpuit oblatum ſibi Bruno Pontificatum, Cernens eſſe ſtatum Magnatum rarò beatum. Et de S. Cæleſtino Eccleſia: DEUS qui B. Petrum Cæleſtinum ſummi Pontificatûs apicem humilitati poſtponere docuiſti; & plures alios aliis honoribus.

10. Eadem Paupertas juxta S. Ambroſium ordine prima eſt, & Parens quædam ac generatio virtutum: quia qui contempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna: nec poteſt meritum Regni cæleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate preſſus, emergendi non habet facultatem.

11. Paupertas hæc cum Chriſto, cum DEO habet aliquid commune: cum Chriſto; qui cùm eſſet dives, propter nos egenus factus eſt: cum DEO; quia nullo egere, Divinum eſſe nonnemo veterum cenſuit;

paucis

paucis indigere, Divinitati proximum. At sic vel eget vel non eget hic pauper.

12. Eadem votiva Pauperies præstat omnibus eleemosynis; quia plus dat, qui dat omnia: non sicut eleemosynarii dant obolum vel modicum, & sibi lauta patrimonia & divitem gazam retinent. Tu ex dictis inferes; Libenter, libenter voveo Paupertatem. Dicere de illa licet illud Sapientis: Præposui illam Regnis, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius; nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu ejus: super speciem dilexi illam: quoniam inextinguibile est lumen illius, Sap. 7.

II.

Religiosæ castitatis encomia.

I.

HÆc illa est, quæ efficit specialiter corpora nostra templum Spiritus S.! hæc, quâ etiam, præter humilitatem, meruit B. Virgo, ut esset Mater DEI.

2. Quæ in mundo nobilissima & maxima; sunt castissima. Nihil DEO majus; nil etiam purius; unde illud Nazianzeni: Prima Trias Virgo est. Nil DEO homine excellentius; at nil item castius. Nil post hunc Divinâ Parente sublimius: at hæc semper Virgo, & Virgo virginum; & prima in Orbe votum castitatis fecit. Nihil Angelis post prædicta

dicta nobilius; at hi purissimi, sine carne. Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista: at de illo canit Ecclesia: O nimis felix meritiq; celsi, Nesciens labem nivei pudoris. S. Joannes Evangelista Domino tam dilectus, & Matri Virgini Virgo in filium commendatus, de illoque illud Ecclesia: Diligebat autem eum JESUS, quoniam specialis prærogativa Castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. S. Joseph tantus! at castus. Denique in cælo nobilissima pars universi, nempe omnes Electi & Beati: at ibi æterna castitas: ibi non nubent neque nubentur, sed erunt omnes sicut Angeli DEI, ex Christi Domini sententia. Quidni inter maximos in orbe, te inseras.

3. Divinum quiddam Voto huic inest. Unde P. Ledesmæ ingressuro Societatem, & anxio de dono Castitatis obtinendo, accinebant cum B. Virgine cælitus advenientes ad illum divæ Virgines; Divina res est Castitas, Divina sunt & præmia, quæ continenti dat DEUS.

4. Votiva Castitas optimè tractat Christum: quia hic pascitur inter lilia. Horum odore capitur & delinitur, trahitur colore, pascitur sapore palatum Agni.

5. Eadem cælum mirè super alios lætificat, quia canit Canticum, quod nemo canere potest præter castos.

6. Sacrificia prima Abelis quàm DEO grata! & munera placuerunt & Sacerdos: hic, quia castus; illa, quia à casto: Porrò Castitas offert sacrificium illud

illud juxta monitum S. Pauli: Exhibeatis corp
vestra hostiam viventem, DEO placentem.

7. In Angelum transformat eadem juxta SS. P
tres. Nam Chrysologus ait: Angelis cognata se
per virginitas. Ambrosius idem clariùs asser
Castitas etiam Angelos facit; qui eam servavit A
gelus est: qui perdidit, Diabolus. Sic prædict
Doctor. Confirmat Hieronymus: Filius DEI n
vam sibi instituit familiam, in terras ingressus;
qui adorabatur in cælo ab Angelis, haberet Ange
Virgines in terris. Denique accedat Cyprianu
qui sic Virgines alloquitur: Cùm castæ persevera
& Virgines, Angelis DEI estis æquales.

8. Martyrum quanta gloria, quantum decus!
castitas Martyres facit juxta Ambrosii effatum. A
ergo præter laureolam Virginum, non speret lau
olam Martyrum? 9. Ejusdem illud encomium
in Scriptura: Non est ponderatio digna continen
animæ! O quam pulchra est casta generatio! im
mortalis est enim memoria ejus, &c.

9. Nuptiæ terras, inquit Hieronymus; Virg
nitas implet Paradisum. Certè in paradiso illo pr
mi Parentes fuere Virgines.

11. Si voluptas bonum pecoris, ut dicebat Ro
manus Sapiens; Virtus hæc à brutis nos eximit.

12. Juvat audire elogium hujus Virtutis ex Am
brosio: Quis eam, inquit, humano possit compre
hendere ingenio, quam nec suis natura inclusit le
gibus? aut quis naturali voce complecti, quod su
pra usum naturæ sit? è cælo accersivit, quod imi
taretur

taretur in terris? nec immerito vivendi ſibi uſum quæſivit è cælo, quæ Sponſum ſibi invenit in cælo. Hæc nubes, aëra, Angelos, ſidera transgrediens, Verbum DEI in ipſo ſinu Patris invenit, & toto hauſit pectore! Nemo miretur, ſi Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur, &c. Hæc Ambroſius. Mitto quod & Ethnici ſint hic exemplo, ut Damocles Athenienſis, &c.

III.

Religioſæ Obedientiæ encomia.

I.

OBedientia Religioſa inter amicos DEI pôtius inſcribit quàm ſervos. Servus enim (ut ait Chriſtus) neſcit voluntatem Domini ſui: vos autem dixi amicos, quia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Atqui obediens ſcit certò voluntatem Domini, ſi os Domini interroget, ſeu Superiorem.

2. Obediens DEI auctoritatem tuetur & veneratur maximè, quam etiam in Vicario DEI, ceu Divinam amplectitur & exequitur. Unde illi non objicit, quod aliis: Vos autem inhonorâſtis me.

3. Obedientia ſemper miracula patrat; quòd intelligat ſine intellectu proprio; bene videat, etſi cæca ſit, adeoq; hîc etiam cæci vident: hîc vivunt mortui ſuæ voluntati. Videtur & S. Dionyſii prodigium

digium renovare, qui suis manibus caput gerens incedebat sine capite. Nam & illa rationem suam abnegans, sine intellectu suo & capite videtur degere. Imò & à DEO miracula extorquet, quibus illam Deus sæpe illustrat.

4. Obediens transire videtur in esse Divinum; quòd vivat, & agatur, regaturq; Intellectu Divino, non suo: Voluntate DEI per Superiores exposità, non suâ; item eidem se manifestiùs communicat DEI Sapientia & providentia.

5. Obediens idololatriam destruit, & idola subvertit, veneficia ariolorum tollit: nam quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere; & quasi peccatum ariolandi, non obtemperare, ut habetur in libris Regum.

6. Obediens est extra metum illius Jugi, quo domina ancillatur, & ancilla dominatur, est extra metum errandi, DEO regente, domina ratio.

7. Sacrificium excellens offert, quod aliis victimis notum est præferri; cùm melior obedientia dicatur & sit, quàm victimæ.

8. Obediens est Mater & Frater Christi: nam qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus Frater, & Mater est, ait Dominus.

9. Obediens vescitur cibo Regio Christi, qui dixit: Meus cibus est facere voluntatem Patris mei, &c.

10. Vivit continuò pœne in actu heroico; quia ubique voluntatem suam & judicium abnegat, quæ victoria multis est insignior, ob violentiam voluntati propriæ factam.

11. E

11. Et illud ſpectat ad laudem obedientiæ, quod S. Antonius Patavinus Dominicâ ſextâ in Ramis Palmarum ait: venit JESUS Bethaniam, quæ eſt domus obedientiæ, id eſt, Beatæ Virginis.

13. Huc ſpectant, quæ in ejusdem obedientiæ laudem in Face Aſcetica habentur; item in laudem voti Paupertatis & Caſtitatis.

§. II.

Calcar ad propria quædam Voti cujusq; Religioſi exercitia.

Etſi ab Encomiis votorum ſat ſit ſtimulorum ad ea implenda; tamen adhuc aliter ad proprios cujusq; Voti actus juvat incitare.

VOTUM PAUPERTATIS.

Primum id eſt, de quo obligamus noſtram fidem omnipotenti DEO: Voveo Divinæ Majeſtati Tuæ Paupertatem. *At ſicubi ſimulis eſt opus, certè hoc Votum inprimis ſincerius obſervandum.*

I.

Zelus pro amore & obſervantia ſtrictiori Religioſæ Paupertatis.

I.

VÆ Religioni, ubi Paupertas Religiosâ la basscit. Ruina domui timenda, ubi fun damenta subruuntur, at paupertas Relig onum basis est. Cœperunt fundari Religiones i illo Christi Domini verbo: si vis perfectus esse, vad & vende omnia, & da pauperibus. Tam stricta perfectio, de qua id, si vis perfectus esse: ut nihil re linquere sibi sinat; sed dicat, vende omnia, omni da Pauperibus! Quid ergo non timendum, si id quo fundantur Religiones, clàm palamvé subverti tur? si loco istius, vende omnia, seu Dimitte omn succedat illud, Habeto omnia, Cures habere omni

2. Miserum voveo Paupertatem, ubi nil vovet nisi verba! aut si plus, nulla voti Religio animum tangit, nec timetur sacrilegium! Ridet cælum, dent inferi, rident & homines hujusmodi Paup rem, qui nihil minus, quàm paupertatem amat, factis audacibus impugnat, quod statu sanctissim profitetur. Acerbiùs exprobrat cælum: Ut q quæritis mendacium, post tot promissa, me tes jurata DEO? DEUS non irridetur! Si DEI am à sacrilego ausu non retardet, saltem timor D coërceat.

2. Nil jam alicubi frigidiùs amatur, quàm v promissa Paupertas. Pauci sunt, qui in hoc serv do sint eximii! Eja tu inter illos paucos esse ve vereor enim, ne illi etiam sint pauci Electi: zela DEO, cui tam sacrilego mendacio & rupto fœd illuditur: Zela pro bono Religionis, quæ nil bo

fru

frugis ſperare poteſt à ſubditis vel proprietariis, vel hanc baſim ſuam evertentibus: Zela pro tuo etiam bono, quod ſacrilega Voti injuria funditus demolitur. Stetit Phinees, & placavit, & ceſſavit indignatio DEI cæli. Tali hìc zelo opus eſt: confodiatur hic amor commoditatum & uſus proprietarii. Quæ verò hìc non ſubeſt ſic zelandi cauſa, dum iſtud vileſcit, cui pretium fecit Paupertas DEI Hominis? Dum iſtud horrorem & odium creat, quod pro te DEUS amavit? iſtud abjicitur, quod te ſtatûs tam beati & beatifici participem conſtituit? illud proculcatur, quod votum conſecrat? Res ſacras non audes calce nefario proterere; at quid ſanctius Voto? Imò non ipſum Votum duntaxat conculcas, ſed ipſum DEUM, qui dum Voti contemptu contemnitur, clamat illud apud Davidem: Conculcavit me homo! Quid quòd deſipis, cum in Schola virtutis ſapere debuiſſes? ſæcularis adhuc conculcâſti tanquam purgamenta mundi & fimum vilem, opes & rerum copiam; & nunc fimum hunc prenſas & amplexaris? Item mera illuſio, vita tua & Vota ſunt: nihil magis horres, quàm quod voves? Sectaris procaciter Voto contraria? omnium vis habere copiam, quam ultro abjeciſti, & delicias vis in paupertate ſectari? Deniquè non odiſti in te rationem, quâ differs à brutis; & oderis votivam Paupertatem, quâ differs à ſæcularibus, quæ quidem diſtinctio tuî ab illis coram DEO & mundo honorificentiſſima? Ergo inter tam juſtas zeli cauſas, ze-

la tandem pro Voto hoc Sancto, & contra te, factis justioribus; & contra alios, sanctiori exemplo.

II.
Fulmen contra superflua & pretiosa.

I.

HOccinè est, Ecce nos reliquimus omnia? Qui relinquit omnia; nulla habet, & nihil; tu verò etiam habes superflua? etiam pretiosa, & quæ Christi sectatorem pauperem dedeceant? Potiùs ergo non reliquisti omnia, sed habes optima omnia; imò habes plus quàm omnia. Nam sæculares, qui retinent sua omnia, nihil se superfluum habere putant, ideòque plura aggregant, acsi nihil vel parum habeant: tu & alia omnia habes, & quæ superfluunt! sæculares habent & curant omnia, quibus egent; tu etiam illa, quibus non eges, ut sunt superflua. Plus ergo habes post dimissa omnia, quàm ante, nec satis video, quomodo dicas CHRISTO tu & tui similes? Ecce nos reliquimus omnia. Quod si verè relinquentibus omnia, centuplum & vita æterna promittitur; vide quo tu id jure speres.

2. Minatus iratusq; est DEUS Israëli: Non subsistet ante hostes suos, quia pollutus est anathemate, nisi conteratur reus; nempè, qui aliquid surripuerat ex sacratis in anathema. Etiam tu minas iramque DEI similem rapto extorques, & quidem longè

gè majorem! Magis polluitur anathemate, qui ultra audaciam Achani surripit plura. Achan indigentiæ suæ tantùm consulere voluit: Qui superflua de anathemate votivo rapit; rapit, quo etiam non indiget, pejorque Achano est. Quare conteratur talis furtivus, ne & communitas tota damnum vel iram cœlestem incurrere cogatur.

3. Sauli dictum: Abjecit te DEUS. Quare? quia cùm omnia devota essent gladio jussu DEI, ex Amalecitarum exercitu & spoliis; optima & pretiosa & pinguem Agag reliquit, & gladio subtraxit, Tu pretiosorum sectator Saulem induis; Sauli intentatum fulmen time. Demolitus mala & vilia Saul; sic & tu vis carere, & libenter cares vilibus: DEO illa consecras; pretiosa tibi! ô Pauperem! ô Votum! Si non te, certè abjicit munera & Vota tua DEUS. Ipsum etiam te rerum pretium damnat, quòd sis voti reus, non enim vovisti vilium tantùm defectum; sed Votum fuit, etiam hoc sensu, de meliori bono, quo te spoliâsti; & nunc repetis à DEO.

4. Dicetur olim: Ecce homo, & opera ejus: tibi cum improperio dicetur: Ecce homo Religiosus, & Paupertas ejus! Conferetur hæc cum paupertate Christi exinaniti, non habentis, ubi caput reclinaret, & omnia vilia à stabulo ad Crucem amplexi: Conferetur cum pauperie Apostolorum, imò & tuorum sodalium, tua hæc rerum exuberantia ultro quæsita, rerumque pretium; & illudetur tibi: Ecce paupertas ejus! Sic scilicet voverat! Omne pretium illi vilne-

viluerat primò, DEI accœli amore; cujus pretii iterum amorem, præter fas omne, resumpsit!

5. Denique cui væ? væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Vide num & te hoc væ non impetat. Appensus es & tu in statera, sed inventus es plus habens, quàm voti Religio ferat, vel concedere possit. Certè superflua vetat Tridentinum Sess.25. c.5. de Regularibus: pretiosa vetat ipsum etiam paupertatis nomen, & ordinationis Religiosæ. Sed qui sic invenitur plus habens & de superfluis, & de pretiosis; talem statera ipsa in terram, ne dicam orcum versùs jam deprimit, ni pondus hoc ipse tempestivè adimat: Quò plus habens; eò inventus est minus valens coram DEO.

III.

Rerum necessariarum penuriam Religiosa Paupertas ferat ametque.

I.

NOn est magnum, paupertatem amare, cùm omnium sufficientia: sic nullus hominum fortasse detrectaret Votum Paupertatis: sed ut veriùs Paupertas suum nomen retinet, cùm illi multa desunt, sic laudabilior paupertatis amor inter angustias egestatis rerumque penuriam. Non esset formidabilis ridicula Paupertas, semper quo ad necessaria dives: ridicula, quæ efflictim urget, ut nullis careat necessariis

riis, fertque id iniquo animo, si aliquem horum defectum etiam tolerabilem pati contingat.

2. Quidam in Apocalypsi ait de se: Dives sum & nullius egeo. En descriptio divitis: Dives, qui nullius eget: habet omnium affatim. Tu ergo te pauperem dices, cùm nullius egebis, nec necessaria ulla deerunt? si hæc deessent quoad totum, vel quoad partem, diceres tunc: Egeo hujus, vel illius; aut, Egeo omnium; proinde non esses dives, qui dicit: Nullius ego. Cùm ergo id dicere nequeas inter omnium necessariorum copiam, quam extorques & procuras; dices cum divite; Nullius egeo. Aliter verus ultro Pauper dicit, Nullius egeo; eò quòd illi ipsa paupertas sint meræ divitiæ: nullius eget, quia nihil vult habere; quia scit & vult penuriam pati; deniq; nullo eget, quod per votum abjecit; at omnia per votum abjecit; nullo ergo ex illis omnibus eget.

3. S. Petrus primos Christianos laudat, quòd rapinam bonorum, libenter pro Christo tolerârint: Defuerunt ergo illis & necessaria, si rapta sunt omnia; & tamen hi religiosam paupertatem non voverant; aliàs bona non habuissent, quæ raperentur. Quid ergo? an ille qui vovit, hic mundanis fidelibus cedat? an defectum necessariorum si non libenter, saltem æquanimiter non ferat? Equidem si ita ferat, computabitur inter beatos illos mites, qui possidebunt terram, qui vincunt in bono malum qui inter penuriam retinent patientiam, nec statim jus naturæ obtendunt, & unde per nefas etiam clàm sibi provident, contra Superiores obmurmurant, &

quod

quod Jonas ob hederam tuendæ calvitiei ſuæ ab æſtu ſolis idoneam, eidem à verme corroſam repetunt: Juſtè iraſcor ego &c.

4. Claudo id dicto P. Baltaſaris Alvarez: Nemo ſibi de ſensûs illuſtrationibus & conſolationibus ſpiritualibus blandiatur, niſi hilari vultu bolum Evangelicæ Paupertatis deglutiat: Tunc autem deprehendet, an eam diligat, ſi ejus comites amet, famem, ſitim, frigus, & contemptum. Qui nihil vult ſibi deeſſe, & tamen vult Religioſus haberi decipitur. Hæc ille.

VI.

Proprietarii exeſte

I.

HOrret hoc nomen etiam mediocriter bona Religio. Nam id non tantùm Paupertati repugnat aliquo modo, ſed illam tollit. Voti enim hujus vis in eo ſita ut nihil habeas, núllo utaris independenter à conſenſu Superioris. At Proprietarius & habet, & utitur rebus independenter. Præterea Meum ac Tuum omnium malorum eſt origo, litium & bellorum fax innumeraque gignens incommoda, teſte & S. Chryſoſtomo, & experientiâ; quidni ergo illud horreat quævis Religio? In proprietariis certè hoc Meum, frigidum ſanè vocabulum, eſt familiare! Inſuper proprium quoddam Philoſophi deſcribunt, quod convenit ſoli álicui, & ſemper. Nulli tale proprium per ſe & independenter Religioſo

gioſo competit; Nam ſibi ſoli aliquid arrogare quo ad proprietatem, dominium redolet; quo ad uſum eſſe independentem, illius eſt, qui eſt ſui juris, nec ut in aliis, ſic in uſu, rerum ab alio dependet, ac ſic dependere jubet votum paupertatis contra morem & ingenium Proprietarii, ergo Proprietarii à Religionibus exeſte.

2. Porrò exeſſe hinc Proprietarios præter rationes, etiam jura & pœnæ jubent. Nam imprimis uſus proprietarii eſt caſus reſervatus, nimirum uſurpatio & appropriatio rei alicujus in ea quantitate, quæ ſufficeret ad peccatum mortale. Item in jure communi qui peculium habet ſine conſenſu ſui Prælati, à communione Altaris removeri jubetur. Qui autem in extremis inventus fuerit, cum peculio; inter Fratres non ſinitur accipere ſepulturam. In Regulis etiam noſtris ſanctè cavetur: Nemo re ullâ tanquam propriâ utatur. Item in Monitis generalibus ſic habetur num. 10: Intelligant omnes eam partem, quæ furtum mortale conſtitueret, ſufficere, ut quis peccâſſe contra Votum paupertatis judicetur, ſi quis è noſtris rem ut propriam vel uſurpet vel alienet, abſque Superioris facultate. Ibidem num. 17. dicitur, quòd ii qui tria ſubſtantialia vota emiſerunt, non ſolum contra votum paupertatis peccent, ſi re aliquâ tanquam propriâ utantur; ſed ii quoque, qui nondum ſe ſuis bonis abdicârunt, quâcunque ratione de iis diſponant, vel ea diſtribuant, aut iis ſe abdicent, cùm abſque Superiorum voluntate id fecerint: Denique ibidem num. 15. dicitur: Nemo in

libris, quos de Superiorum licentia apud ſe habet, inſcribat, ad uſum; quod paupertatis perfectioni & puritati repugnat; ſicut & illud, ſi rebus concesſis utamur, non ſicut ſolemus alienis, cautè utendo ne facilè deſtruantur. Ergo iterum proprietarii ſic legibus proſcripti exeſte.

3. Porrò proprii nomine intelligitur non ſolùm dominium & proprietas rei, ſed etiam uſus, uſus fructus, poſſeſſio, & adminiſtratio; prout ſunt non tantùm juris (unde tale proprium & jus utendi re pro ſuo arbitratu independenter à Superiore, Voto paupertatis repugnat) ſed etiam uſus facti, quatenus ſine prædicto jure utitur Religioſus re aliquâ, ſine Superiorum conſenſu expreſſo vel tacito, ut habet Azor, & alii: adeoque nec ejus conſenſum exigit & clàm aliquid aſſervat, imò & clauſum gerit, ne Superiori id pateat, vel illi auferatur. Sapit eandem proprietatem, indignè ferre, ſi Superior eandem illi rem auferat, vel det alicui alteri, aut Religioni applicet, &c. Exeſte, exeſte tales è ſanctis cœtibus proprietarii. Una proprietas Religioſo licita & laudabilis, ſi dicat DEO: DEUS meus es Tu: DEUS poſſeſſio & hæreditas mea. Si hanc proprietatem habet, habet omnia; & nimis avarus eſt, ſi DEUS illi non ſufficit. Veræ item divitiæ animi, virtutes ſunt: his implere gazam, hunc theſaurum tibi, ô Religioſe, habere & clauſum, & apertum licet.

V.
Sanctum & Religiosum Nihil: seu Paupertatis, miræ species.

I.

UBi carentia Proprii, quo se homo intuitu, DEI sponte spoliabit, ibi sanctum Nihil,& illud Nihil habentes. Quantò autem plures carentiæ eliguntur ultroneæ, eodem intuitu; tantò magis hoc sanctum Nihil multiplicatur, de quo hic agimus.

2. Non una Paupertatis species laudabilis. Triplicem hic accipe. Prima est Religiosis propria; sed exquisitior est à vulgari, tum quoad tenuitatem omnis suppellectilis,puta vestimentorum,lecti,librorum, aliorumque usualium: tum quoad alimentorum vilitatem; tum quoad dependentem usum etiam minimæ rei; tum quoad necessariorum defectum svaviter toleratum; tum quoad superfluorum & pretiosorum amotionem & fugam: tum quoad desideria habendi extincta: quoad affectum ad res immodicum aliàs restinctum; quoad expunctum animo studium sibi aliqua etiam cum facultate procurandi,& in cubiculo retinendi,per quæ suæ commoditati vel necessitati, commodius etsi minùs necessariò consulatur: quoad animum paratum, ut ea quibus etiam licitè utitur, auferantur pro libitu à Superiore, perinde ac si esset statua, cui quidquid detra-

detrahas licet, sine statuæ sensu vel impeditione: quoad aperta omnia Superiori: nequid sic absconditum geras, quod illi non pateat, vel asportare non liceat: quoad cautum & & sollicitum usum rerum concessarum: quâ cautela alienis utereris: quoad paucissima è necessariis, nec ea pretiosa habenda è consensu majorum; deniq; de nulla re minima pro libitu disponere, vel minimam rem ab aliis, vel è rebus domesticis, sine expresso vel tacito Superiorum consensu accipere. Habes Lydium lapidem, ad quem explores tuæ paupertatis perfectionem.

3. Aliam Paupertatis speciem accipe de CHRISTO Domino ex B. Angela de Fulginio. Hic enim præter Paupertatem summam ac omnium rerum inopiam, fuit pauper amicorum & omnis familiaritatis, potentiæ, & omnis amicitiæ temporalis; item exspoliavit se potentiâ, infirmus; & viribus invalidus infans: viribus fatigatus; sapientiâ, instar stulti illusus: sanctitate, pro seductore & turbulento ac vini potatore habitus: Majestate, per omnia nobis similis, absque peccato; & formam DEI formâ Servi contegens: æternitate, per nativitatem in tempore: immensitate, in tantillo corpusculo, & SS. Eucharistiæ fragmentis minutissimis. Exinanivit denique semetipsum in forma servi, Dominio se externo despolians, & pro naulo persolvens, &c.

4. Tertia species miræ Paupertatis consistit in varia rerum carentia, vel spontanea, vel acceptata, Virtutis & DEI amore. Primò Carentia sui ipsius, unde Poëta noster canit: Pauper est, qui se caret.

Ad hanc ſpectat non uti ſe ipſo quomodolibet, puta intellectu, voluntate, ſenſibus, lingvâ, viribus, aliisq; potentiis, & veluti illis carere, niſi ad DEUM, propter DEUM, juxta DEUM, juxta Superiorum & Religionis placitum. Secundò carentia ſolatiorum, amicorum, internarum & externarum commoditatum, plauſibilium, recreationum ſuperfluarum. Tertiò carentia ſervitii alieni, favoris, & gratiæ humanæ; æſtimationis, reverentiæ, promotionis, & in his omnibus, ut & ſecundo loco poſitis animo non dejici, non contrahi, nec perturbari, nec illa velle, nec eadem procurare, & in eorum copia ſibi à vana intus lætitia temperare, nec de illis ſibi applaudere extrà; nec illa in animo æſtimare. Quartò Carentia talentorum aliquorum deſiderabilium etiam ad bonum aliorum: Carentia item gratiarum quarundam, quibus adjutus & ſvavius DEO, & forte ſublimiùs ſervires; Carentiam hujusmodi cum ſubmiſſione voluntatis propriæ ad Divinam ferendo, dicendoque ſe his indignum, vel fortè abuſurum, ſi haberentur: Bonum ergo mihi, Domine, quia humiliâſti me. Quintò Carentia Dominii famæ per conceſſionem illius in ordine ad delationes juxta regulam, & morem Societatis ſanctiſſimum. Sextò Carentia temporis ad alia, quàm ad Religionis, obedientiæ, & charitatis opera. Septimò Carentia faſtûs interni, & vanitatis exterioris vel internæ inter plauſus vel laudes, ſi quando obtingerent. Sicut S. Pater Ignatius à nullo ſibi minùs vitio timuit, quàm ab inanis gloriæ titillatione. Octavò Carentia exem-

ptionis,

ptionis, exceptionis singularitatis, immunitatis, privilegii, iisque renuntiatio, si offerantur. Nonò Carentia particularium amicitiarum. Decimò Carentia propriæ voluntatis & judicii. Undecimò Carentia peccati per Sacramenta & actus justificantes, nec non fugam odiumque deliberatæ vel levissimæ noxæ: item Carentia reatûs pœnæ peccatis debitæ per satisfactiones tempestivas, per Sacrificia, per indulgentias, aliosque modos. Duodecimò Carentia seu sublatio quorundam externorũ morum agendi vivendiq;, qui aliis justam indignationẽ, & molestiã, aut quod majus est, scandalum pariant. Sancta hæc carentia, præter alias. Decimo tertiò. Carere conscientiæ arcano per manifestationem suî, juxta morem & Regulas Societatis. Decimo 4tò. Carere Vitæ amore, tum per resignationem illius Domino vitæ & necis; tum per obsequia pestiferorum postulata; tum per labores & mortificationes, quæ sensim sanitatem labefactant; tum per visionis beatæ desideria. Decimo 5tò. Carere ac spoliare se usu cogitationũ arbitrario ac volatico, per assuetudinem ad cogitationes sanctas, vel directas ad finem bonum, adeoque per usum intellectûs sanctum justumq;. Similiter de affectibus intellige; ubi etiam supponitur vel svadetur carentia, indomitarum passionum, quæ est quædam apathiæ non stoicæ species.

En Paupertatis miræ species! has exerce, & eris gloriosus Pauper: has dilige super aurum & topazion; & eris omnibus sæculi divitibus felicior.

VO-

VOTUM CASTITATIS.

De hac etiam aliqua juvat attexere; ne, ut ait Ambrosius, veluti transitione quâdam præstricta videatur, quæ Principalis est Virtus.

I.

Quadruplex excellentia Puritatis Seu *Excellens Idea votivæ Castimoniæ.*

I.

PArum est, in hac virtute esse mediocrem; excellere necesse est. Quidquid ad illius excellentiam deest fortè non unius adhuc nævi ream id arguit; & ferè deest de puritate, quantum ad summam puritatem desideratur. Pulchrum ex integra causa esse cupit pulchrum nec enim est integra laus pulchritudinis vel cum minimo nævo, aut exigua fœditate. Virtus hæc debet esse sicut vitrum pellucidum, simile auro mundo, simile purissimo crystallo: debet esse sicut Ecclesia non habens maculam, neque rugam.

2. Vìs animatas castimoniæ Ideas? prima sint Sancti quicunque castissimi, & Martyres castitatis, seu pro hac tuenda virtute passi: item generosissimi tentationum hujusmodi victores, illi Nicetæ, illi Josaphati, illi Casimiri, illi etiam Pueri & Puellæ, Agnetes, Luciæ, &c. His enim tibi pro idea objectis debebis dicere notum illud: Hi & Hæ poterant; & tu non

non poteris in Domino DEO tuo, in quo & illi? Hi tam strenuè pugnârunt, in mortē labi præeligentes, & tu citra mortem non fortiter depugnes? Hi illis usi mediis, quæ unctio cælestis obtulit; tu non utêris? Hi autem quanto fulgore castimoniæ nituerunt? quâ excellentiâ? certè illud etiam aliqui dicebant: Domine memores mandatorum tuorum etiam in somnis resistimus, ubique, & semper conati esse aurum mundum, crystallus pellucida labeculæ expers. Inter hos denique plurimi Innocentes & Infantes fuerunt, nempe hujus mali, cui virtus hæc opponitur, etiam incapaces; si huc pertingat votiva castitas; quis excellentem negabit? Ad hanc Ideam spectat inter alios Divus Joannes Evangelista, ex cujus oculis radium miri splendoris in faciem B. Virginis tendentem vidit S. Mechtildis; quo indicabatur ea S. Joannis virtus, quòd dum esset in terris nunquam B. Virginis vultum inspexerit.

3. Secunda Idea, Angelica sit puritas. Angeli enim sine carne, toti Spiritus, toti purissimi, independentes à sensibus, toti speciosissimi, & mundissimi; etsi alibi juxta Poëtam & experientiam rara est concordia formæ, atque pudicitia. Nec mirum, quòd sint purissimi: semper enim vident faciem Patris cælestis, cujus pulchritudo & amabilitas omnem eorum amorem absorbet, & omne aliud pulchrum creatum & delectabile, in ejus comparatione, vilescit ceu mera fœditas, & cruciatus. Ad hanc Ideam conformata castitas, omnino excellens est. Imò Angelicam hac in re gloriam acquirere majus est, quàm

quàm habere, nam esse Angelum (ait Chrysologus) felicitatis est, Virginem esse virtutis: Esto ergo, ut hæc Idea demonstrat; & Ideatum majorem gloriam obtinebit præ Idea.

4. Tertia Idea Mariana. hæc tantò insignior est primis duabus, quantò purior castiorque omni creaturâ, imo Angelis Mater DEI & Virgo. Tanta enim ejus puritas fuit, ut nulla sit major infra DEUM, teste Anselmo. Afferam discursum S. Antonini Archi-Episcopi Florentini, quo B. Virginis puritatem majorem hominum & Angelorum puritate ostendit 4. p. tit. 15. c. 17. In omnibus (inquit) aliis viatoribus castitas est cum pugna contra fomitem cum casu saltem in veniale, aut possibilitate cadendi in mortale, exceptis confirmatis in gratia; Sed in B. Virgine fuit castitas sine pugna fomitis, sine casu, sine periculo (à quo speciali gratiâ præservabatur) cadendi etiam in veniale. Angelorum etiam castitatem excessit, primò: quia est multiplicior; Angeli enim solùm in Spiritu, non in corpore illam habent, quo carent; at B. Virgo & corpore & Spiritu Virgo. Secundò est nobilior & utilior; quia Angelis est naturalis, nec meritoria; in B. Virgine est gratuita, & meritoria. Tertiò est gloriosior: quia in Angelis est necessaria, & sine pugna: in B. Virgine est voluntaria, & cum victoria, non carne pugnam offerente, sed hoste, qui extrà etiam Christum invasit. Hinc S. Thomas ait, quòd tantò excellentiorem aureolam seu laureolam Virginitatis fuerit adepta, quantò excellentior fuit illius Virginitas.

ginitas. Non tamen animum despondе, sed ad excellentem hanc Ideam exprimendam, quoad licet, contende. Par est contendere; nam & illa suis clientibus dicit: Volo autem vos esse, sicut me ipsam. Deinde vel es Sacerdos; vel eris. Si es; Matrem DEI tripliciter exprimis; exprime & Virginem. Exprimis Matrem; tum quia eundem quodammodo in Sacra Eucharistia conficienda paris per verba consecrationis, ut illa concepit Verbo Filium: Tum quia idem nascitur geriturque in manibus Sacerdotis, quem illa gessit, ulnisque excepit: Tum quia juxta Gregorium, DEI Mater efficeris tum prædicando, & amorem DEI, proximorum cordibus ingenerando; tum voluntatem DEI in omnibus adimplendo juxta illud: Qui fecerit voluntatem Patris mei; ipse meus Frater & Soror, & Mater est. Quidni ergo coneris exprimere Virginem, qui adumbras DEI Matrem? vel certè Sacerdos eris; & sic debes etiam imitari B. Virginem, quæ ad Maternitatem Divinā etiam per Virginitatem, se disposuit, talis enim decebat DEUM Mater, ut non pareret, nisi Virgo; ait S. Bernardus.

5. Quarta Idea est Puritas Divina & Christi. In Christo adhuc excellentior, quàm Mariana, ut notum est. Divina puritas necessaria & naturalis est, & infinita. DEUS enim necessariò & infinitè Sanctus est; at Sanctitas, juxta Areopagitam, est omnimoda puritas. DEUS certè zelator Virginitatis est, & præmiator singularis. Et de Spiritu Sancto est illud: Non habitabit Spiritus meus in homine, quia

quia caro eſt: Voluit Incarnationem VERBI DEUS; ſed ex Virgine: impuros igne ſulphureo cœlitus combuſſit. Omnimoda ergo & infinita DEI puritas & puritatis amor immenſus! Si difficilis hæc Idea; habe omnimodam, etſi finitam; id quod ratio creaturæ ſibi vendicat.

Propoſitæ tibi Ideæ: vel ſingulas imitare pro libitu; vel omnes, quamcunque expreſſeris, excellentiâ voti non carebis.

II.

Leges & Suppetiæ Caſtitatis.

LEctulum Salomonis ſexaginta fortes ambiebant, omnis armatura fortium. Et Tu Regis Pacifici, Chriſti lectulus es; eges fortium armaturâ contra inſultus hoſtium acerrimos. Ambit hunc lectulum voluptas & adverſa Puritati arma. Ergo legum tutelâ ſecuritâti conſule, & ſuppetias accipe.

1. Æternum vitii cujusvis omnimodæ puritati & honeſtati contrarii odium concipe ex motivis ſupra poſitis, ex Encomiis caſtitatis, ex Ideis proximè deſcriptis, ex voti Religione. Nam quæ odit quis, horret; quæ horret, vitat: quæ vitat, evadit & evitat.

2. Nec minimum hic nævum patere, nam in pulchro corpore (S Bernardus ait) non morbus tantùm diſplicet, ſed etiam nævus.

3. Herbam Araozii noſtri tecum circumfer; id eſt timorem Domini, qui ſervat à malo, & eſt umbracula meridiani æſtûs. Hâc Herbâ ſe tutum inter hujuſmodi occaſiones ille dicebat.

4. Pri-

4. Primos insultus hostiles si hic frangas, vicisti. Quare sicubi, certè hic principiis obsta, & elide hostem in capite, sine longo discursu rejectis primis cogitationibus malignis. Nemo diu cum vipera ludit, sed assilientem statim abigit.

5. Certum habeto ex omnium sententia, fugam in hac pugna triumphare: idcirco fuga tibi multiplex sectanda. Primò fuga otii: nam etiam Peligno vate accinente: Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus. Secundò: Fuga occasionum; ne periculum adeas, dum Te in illud ultro conjicis: hinc fit Tertiò fuga incautæ & periculosæ conversationis; quò refert quarundam Personarum consortia, alloquia molliora, importuna, frequentia, solitaria, liberiorem oculorum in vultus formosiores conjectum, animum ante debitam conversationem non præmunitum proposito sanctiore, vel medio virtutis. Certè S. Franciscus Borgias adhuc ante Religionis ingressum aulæ Cæsareæ gynecæum ex causa aditurus, cilicio se muniebat. Alii oculos aspectu fœminarum nunquam per plurimos suæ Religionis annos temerârunt. Quartò fuga malorum Sociorum & noxiæ familiaritatis, vel qui petulantiùs vivunt ac jocantur.

6. Lingvæ nec tuæ hic labem patiare, nec alienæ. Quo enim solari radio (ait Divus Chrysostomus) non oporteat splendidiorem esse manum? os illud, quod Spirituali igne repletur? lingvam, quæ tremendo nimis sangvine rubescit? Thronus verbi Incarnati est lingva tua, dicitque illi Christus: Po-

nam

nam ſuper te Thronum meum: Ergo Throni Regii ratio habeatur: honor Regis Judicium diligit.

7. Senſus internos imaginationis & phantaſiæ; Senſus item externos, vera & ſollicita Puritas continuò frenare ſatagit. Vincitur, qui has excubias in officio non continet. Senſibus internis externi non cuſtoditi ſenſus, occaſionem ruinæ ingerunt. Singulos Verbo Incarnato conſecra, nec non B. Virgini; nec ullo jam ſenſu externo utere aliter, quàm re jam non tuâ, ſed CHRISTI & MARIÆ. Et quia oculi ſunt ad malum plerumque duces, pange & tu (ut Job) fœdus cum oculis, ne illos temeres aſpectu mulierum, imaginum parum honeſtarum, lectione fœdiorum teneros ne tange Poëtas. Malum eſt, dum quis ſibi hìc etiam veteranæ virtutis fidit.

8. Patrona Puritatis perpetua eligatur Virgo Virginum Deipara, variiſque modis etiam in hunc finem colatur ac invocetur, ut ſuccurrat in tempore opportuno. Huc ſpectat ſpecialior cultus ejus Immaculatæ Conceptionis ac integerrimæ Virginitatis. Sanctis etiam conſueſce caſtis, iiſque ſingulariter afficere; ut ſic etiam ab iis ſtudium puritatis præter auxilia attrahas, nempe cum caſto caſtus eris.

9. Nec alia uſitata media omitte, ut uſum SS. Euchariſtiæ devotum & frequentem, quæ eſt Vinum germinans Virgines: tum uſum mortificationum; ne carnem fovendo ac indulgentiùs habendo, petulantiorem reddas: quò etiam ſpectat cibi potûſque prudens parſimonia; quòd abſq; Cerere & Baccho frigeat Venus, ut dicitur. Alii ſe loco veprium S. Bene-

Benedicti; vel loco præmorsæ lingvæ à Niceta, aut nivium S. Francisci, tuentur vellicationibus, puncturis, humicubationibus, genuflexionibus, ciliciis & flagellis, sitûs mutatione, apertâ conscientiâ directoribus illius, quod unicè dæmon horret.

10. Oratio scutum hac in pugna est fuitque semper, seu fiat ad DEUM, seu ad Cœlites. Juverit præter alia dicere Domine non permittas me separari à Te: Domine, salva nos, perimus: Domine DEUS, & Pater Vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno; aufer à me concupiscentiam: animo irreverenti, ac infrunito ne tradas me. Vel illud cum S. Cæcilia: Fiat corpus & cor meum immaculatum, ut non confundar; aliaque hujusmodi.

11. Ex tentationibus hujusmodi parum est; ut victor evadas; sed etiam sic oculatus esto, ut merita multiplices. Multiplicabis autem, si insultu sæpius recurrente, semper strenuè decertes, nec succumbas: quoties non vinceris hic, vincis: ipsum odium & horror hostis invadentis, est pars victoriæ: contemptu hic vel maximè vincitur; Augebis merita voti renovatione, exercitio amoris Divini, qui omni peccato vel minimo repugnet: generosâ voce & sententiâ Divi Principis Casimiri. Malo mori, quàm fœdari. Vel Eleazari: Malo præmitti in infernum: Augebis idem meritum, de tuis viribus diffidentiâ, proinde recursu ad Cœlites sæpius repetito, ad Christi vulnera; ad Reginam Virginum: item confusione tuî ex talibus impugnationibus captatâ: item pacto antecedenti cum DEO, quòd quoties sic impugnaberis,

beris, velis contraria omnia; imò eo ipſo velis, uti veluti ſigno proteſtativo omnimodæ ſubjectionis ad DEI omne beneplacitum, odii omnis noxæ, amoris Seraphici in DEUM, adorationis ſubmiſſimæ, & aliorum omnium Divinæ Majeſtati actuum gratiſſimorum cum omnimoda eorum multiplicatione replicatione, intenſione, extenſione, corde Seraphico, MARIANO; Theandrico. Augebis item hìc merita uſu mortificationis opportunæ, & cujus uſu experiris ceſſare omnia vel connaturaliter; vel meritoriè certè impetrativè, ut piè de Domino benignè tibi auſcultante credere licet; Deniq; augebis idem, non tibi victoriam adſcribendo, ſed cæli ſuppetiis. Gratias DEO, qui dedit nobis Victoriam per Dominum Jeſum Chriſtum.

III.

Cogitationes Sanctæ contra fœdas.

I.

ET ignibus ignes, & cogitationes poſſunt cogitationibus impugnari; nempe malignæ Sanctis; ut ignes fatui prudentibus. Quid enim? an vincet potiùs nequitia? nec cogitatio potentior ſit è cælo quàm ex Orco? potentiorne ſit caro, quàm Spiritus? ignis ac æſtus brevis, igne æterno? At ſicubi, hìc illa ſententia locum habeat: Spiritus promptus, caro infirma: quodſi infirma, non prævaleat Spiritui; nec cogitatio terrena cæleſti.

2. Gratiâ Actuali egemus ad bona opera, & tentationum victoriam: atq; hujuſmodi gratias S. Auguſtinus ſitas ait primò in illuminationibus mentis, & cogitationibus ſanctis, quas deinde pia affectio ſequitur, ſitque Gratia Victrix: Idem hìc ſperare licet; à Cogitationibus ſanctis, ſumet prænobilis hæc victoria exordium. Fortis hæc armatura in indecoros cogitatus nemoque hac munitus non vincit, niſi qui malit vinci.

3. Porrò multiplex cogitatio ſancta in hoc conflictu cogitationum honeſtati repugnantium adhiberi poteſt ad vincendum. Primò cogita eundem luctæ tuæ ſpectatorem eſſe, quem Stephanus Proto-Martyr, dum lapidaretur, habuit; nempe & tu dixeris: Ecce video cælos apertos, & JESUM ſtantem à dextris virtutis DEI. 2. Cogita totum effundi cælum in tuæ generoſæ pugnæ ſpectaculum, adeoque te etiam ſpectaculum factum eſſe Angelis, & cælo toti. Excitet ſpectator tantus ſtudium vincendi. 3. Recogitatio voti DEO facti quid in timoratis non efficiat? frenum eſt jurata hæc obligatio, & ſacrilegii fœditas. 4. DEUS totus oculus, totus auris hic præſens adeſt; & audeas DEO præſente, quod homine inſpectante vix auderes? Adhæc cogita non tantùm DEUM te deſuper inſpicere, ſed intimè tibi præſentem eſſe; hunc ergo ex tuo corde velut è ſuo throno moveas, & migrare jubeas, ut locum des cogitatui maligno, & ſuggeſtui Dæmonis? Spurcitia potiùs cor occupet, quàm DEUS? 5. Cogita te conſangvineum & concorporeum eſſe Verbo Incarna-

to, tum per usum SS. Eucharistiæ, tum per Sponsalia Gratiæ, tum per Incarnationem; quare probrum cave Incarnati Verbi, ne illi dæmon insultet, quòd eorum carnem assumpserit, qui sic carnis corruptelæ inhient. 6. Cogitatio subeat animum, de Christo Crucifixo, vel illud tibi objiciendo: DEUS meus pendet in patibulo; & ego voluptati operam dabo? Vel illud dici tibi à Christo cogitando: Animam meam pro te posui; & tu recedis à me? & illud: Amor meus crucifixus est: ô Amor; non amplius peccatum! In te delicias Christe, repono meas: tu mihi omnis voluptas; & in Cruce tantò carior, quantò pro me vilior.

7. Cogitando illa duo Verba Breve & Æternum; breve voluptatis, æternum tormenti. Paululùm mellis, & ecce morior. Quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormentum; imò majus, quia æternum. 8. Juvat menti objicere multiplicem indignitatem ac iniquitatem rei, tum quòd cùm te tanti æstimaverit DEUS homo; illum pro tantilla fœditate contemnas: tum quòd etiam citra benefacta DEI in te, indignum sit te pluris æstimare spurcitiam præ omnibus fœditatibus abominandam, quàm DEUM: præferre luci tenebras; immensitatem boni, immensitati mali: Paradiso voluptatis, cloacam: Mari omnium voluptatum, sentinam: tum quòd indignum sit momentaneo cogitatu æterna mercari supplicia, cùm nolim vel tempore brevi circumscripta: tum quòd indignum sit, animum ad æterna & digna DEO bona natum, dejicere

ad bonum belluis commune. 9. Cogitare aliquas sententias, ut illam ex S. ſcriptura. Perverſæ cogitationes ſeparant à DEO: Auferte malum cogitationum veſtrarum. Et illam S. Auguſtini: Quis ſic delectat, quàm ille per quem omnia delectant. Qui fecit iſta pulchra, pulchrior: qui hæc ſuavia & bona, ſuavior meliorque. Et illam S. Agnetis: Amo Chriſtum, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, in quem deſiderant Angeli proſpicere: Hic eſt electus ex millibus, omne delectamentum omne bonum & omnia. Et illam S. Hieronymi: Quidquid pudet dicere, pudeat & cogitare. Et illam Davidis: Cogitatio hominis confitebitur ei, i.e. DEO. Et illam CHRISTI Domini interrogationem: Ut quid mala cogitatis in cordibus veſtris?

IV.

Fœdus contra fœda; & Proteſtationes variæ.

I.

QUo ad Fœdera; hæc juverit inire: nam ſunt ac eſſe poterunt auxiliaria, ut ergo auxiliares copias bellum anceps & ardua Victoria libenter habet; ſic & tu hujuſmodi fœdera in tam arduo conflictu ne rejice.

Fœdera hæc inire & confirmare poterunt, quoties Vota vel emittuntur, vel renovantur per diem, aut ſaltem manè, meridie, & tentatione appetente. Jam illa enumero.

2. Primum fœdus fit cum Sponſo Virginum Chriſto. Huic fœderis ſolennitati præmittenda, tum Gratiarum actio eidem exhibenda pro exemplo puritatis in ſua vita mortali exhibito: tum pro pro tot ſe quacibus illius exempli; gratiis ſeu auxilio ejus virtutis ſequacibus dato, tibiq; toties; unde dicendum: Tua eſt Victoria, in Te laus & gloria hinc tota redundet: tum gratiarum actio pro vocatione ad Statum puritatis, ſectatorem: tum hoſtilium virium & inſidiarum multiplicitas ad pedes dejecta cum gaudio videatur: tum diffidentiæ de tuis viribus, fiduciæ de auxilio inſiſtendum. Quare contra hoſtile robur Fœdus jam inibis ſic: Primò. Actu amoris Divini præmiſſo, pacis & amicitiæ inter Chriſtum Sponſum Virginum, & te æternæ ſtudio, promiſſa jurata quoad virtutis hujus æternum amorem & hoſtilitatem æternam oppoſitis, eidem per Voti renovationem firmentur. Secundò. Sangvine Chriſti promiſſa coram curia tota cœleſti ſubſcribantur. Tertiò. Conditiones ex parte Chriſti hæ exigentur, & poſtulabuntur: tum ut quoties egueris, ſuccurrat, & robur contra hoſtile hujuſmodi robur addat: tum ut occaſionem amoveat & bella: tum ut nunquam te à ſe ſeparari, ab hoſte ſuperari ſinat (nam in manu ejus Victoria omnis) ſed potiùs ut ſemper Victor avadas: tum ut in aliis juvandis hoc in conflictu te ſtrenuum efficiat. Quartò. Conditiones ex parte tua hæ erunt. Inter alias operum, mortificationum, orationum intentiones hæc etiam erit; tum ut impetres auxilia, & illas conditiones ex parte Chriſti: tum in gratiarum actionem pro

iisdem auxiliis oblatis, occasionibus amotis, & Victoria: Item fuga occasionum: ex parte tua insuper executio legum Puritatis superiùs præfixarum: deniqueVictoriæ omnis & gloriæ in Christum ejusq; auxilia refusio, & spoliorum ad ejus pedes affusio.

2. Fœdus sit cum Regina Virginum B. Virgine MARIA. Primò Gaude de illius Virginitatis excellentia; & laureola, & Voto virginitatis primò a te: omnes ab illa emisso. Gaude quòd Virgo fuerit semper corpore & mente: quòd Mater & Virgo, quòd Virgo & DEI Mater, quòd Virgo & Regina Virginum. Secundò. Aspira ad ejus laureolam. Tertiò. Postula, ut inter suî sequaces te admittat. Tum in unione Voti ab illa emissi, Votum in assistentia Cœlitum qui hâc virtute enituerunt, renova, specialiter in cultum Virginis Matris, in ejus Virginitatis exaltationem, studio imitationis illius, & ut plures accedant sub regnum ejus ut Reginæ Virginum. Conditiones eædem erunt, quæ suprà in fœdere cum Christo & si poterit aliquid ex parte tua addi, ad impetrandum patrocinium Virginis Matris nimirũ aliqua specialia exercitia devotionis & mortificationis ei exhibenda è zelo puritatis.

3. Fœdus cum SS. Angelis, ad quorum purritatem jubemur conniti; & à Christo dicitur: In cœlo omnes fore quoad puritatis laudem, sicut Angelos DEI. Primò ergo agnoscenda in illis Idea eximiæ puritatis. Secundò. Aspirandum ad illam; ut in carne velut sine carne, seu puri Spiritus degamus. Tertiò. Succedat invocatio & fœdus amicitiæ ac

invocati

invocati auxilii & ſuffragii. Quartò. Conditiones ſimiles utrinque, ut ſuprà in primo fœdere; tantùm aliqua addentur ex parte tua ad impetrandum Angelicum auxilium & puritatem iis ſimilem, in eorum cultum exercenda.

4. Fœdus cum Beatis Cœlitibus, qui hâc puritatis gloriâ & laureolâ ſunt inſignes. Primò. Illis gratulandum de utraque, & expresſiùs de illa ſequela Agni, & Virginum Cantico in cœlis. Secundò. Aſpiratio ad ſimilia. Tertiò. Succedat fœdus amicitiæ inter hæc puriſſimorum Cœlitum, & te agmina; poſtulando, ne ſe rejiciant à ſuo commercio. Quartò. Invocatio & poſtulatio auxiliorum. Quintò. Conditiones ſimiliter ut cum Angelis. Ex his tamen Beatis poſſunt aliqui ſpecialiter eligi, cum quibus hoc fœdus feriatur; & hi ſæpius invocentur. His ergo in quadruplici fœdere deſcriptis in tentationis occurſu dicendum: Amici nunc adeſte.

5. Fœdus cum oculis, aliisque ſenſibus, juxta illud: Pepigi fœdus cum oculis meis &c. nimirum præfigetur illis & promittetur arcta cuſtodia, & reſtrictio vigil: item ut in nullo unquam hîc vel minimùm, nec per ſubreptionem delinquant. Pœna illis præſcribenda: ſinguli ſenſûs Sponſo & Reginæ Virginum conſecrandi. P. Guilelmus de Pretere B. Virgini dicavit oculos, ut eos in fœminam non conjecerit.

6. Fœdus cum mortificatione externa ceu excubias peragente, & auxilia ſingularia hìc præbente. Nam & ſine Cerere & Baccho frigent hæc prælia; & caro non ita inſanit, dum his vinculis comprimitur;

tur; & insuper auxilia, per mortificationis ad id delectæ usum, cœlitus impetrantur ac evocantur. Hic nihil præscribo; sed quisque viderit, quale id fœdus ineat, & quo mortificationum genere sese muniat in hostes.

3. Quo ad secundum seu Protestationes, hæ variæ fieri possunt. Prima. Quòd velis inter quasuis tentationes adhærere DEO, nec ab illo separari. Unde dices: Mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in Domino DEO spem meam. Secunda. De gaudio, quòd sim in statu puritatis sectatore: de gaudio ob votum hoc factum, & te Christo sic desponsatum, nempe hilarem datorem hic diligit. Tertia. Quòd malis mori, quàm minimum hic nævum pati. Quarta. Quòd velis omnes tentationum assultus & molestias esse signum & actualem omnem tuum erga DEUM amorem, subjectionem, latriæ cultum & adorationem, omnem possibilem laudem, appretiationem, & æstimationem DEI super omnia, & quidquid sanctè & placitissimè DEO creatura velle, & exhibere debeat, possitque. Quinta. Quòd de tuis viribus diffidas, ideoque & declinare studiosissimè omnes occasiones velis, & cœleste robur invocare, & omnem victoriam DEO & Fœderatis tuis suprà recensitis tribuere. Sexta. Quòd velis summum gradum puritatis assequi, quem ex Idea quadruplici superiùs proposita tibi præfiges. Nam minimus gradus est, non peccare contra hanc puritatem etiam leviter deliberatè. Altior, nec indeliberatè: adeoque horrorem talium sentire maximum, etiam inter

somnia;

somnia. Præstantior adhuc, si nec sensum talium quodammodo habeas, ita ut etiam audiendo v. g. Confessiones in hujusmodi materia, perinde te constitutum sentias, ac si de lapide vel re indifferenti aliquid dici audires, non sine habituali talium rerum odio & horrore &c. O Sponse & Corona Virginū, Te deprecamur supplices, Nostris ut addas sensibus, Nescire prorsus omnia, Corruptionis vulnera.

VOTUM OBEDIENTIÆ.

De hoc diffusius agemus postremo hoc loco, ut ad illius perfectionem accendamur, in qua tantùm? Consistit.

I.

Calcar multiplex Ad Abnegationem Voluntatis in obediendo.

I.

HÆc illa est Voti hujus perfectionem pars integrans, & sublimioris Sapientiæ ac obedientiæ genus tantopere in nostris Constitutionibus comendatum. Sine hac voluntatis abnegatione in obediendo, etsi reipsâ obedias, pecori communem obedientiam exerces: hæc humana est, quæ vult, quod vult præcipiens: Porrò etsi secundùm Poëtam,

Vita quid est hominis? Nil nisi. Nolo, Volo:

in qua ſcilicet continua eſt volitionum variarum revolutio, donec veniatur ad ultimam voluntatem moribundi: hæc tamen definitio Vitæ religioſi vix convenit; quia Religioſus caret ſuo Nolo, Volo, & carere debet, alioqui Religio eſſet mera confuſio & ſchiſmatis locus; ſi velle cuique ſuum eſſet, nec capiti conſentiens, quod eſt Superior.

2. Primi Angeli peccatum fuit ſuperbia. Objectum hujus ſuperbiæ varium ponunt Theologi, aliqui in eo ſitam fuiſſe ajunt, quòd Angelus ille affectârit independentiam quoad imperium & miniſteria; quòd nollet ſubjici regimini & præceptis Divinis; adeoque vellet habere libertatem agendi; atq; ideo audivit: Quomodo cecidiſti Lucifer? à ſæculo confregiſti jugum, & dixiſti, non ſerviam. Luciferianorum eſt, ſic voluntati Superiori nolle ſubjici, nolle conformari, hinc facilis ruina & inſultatio cœli: Quomodo cecidiſti.

3. Cùm aliis filiis benediceret Jacob, Simeonem & Levi vaſa iniquitatis bellantia appellavit, addens: Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio, quia dura. Quare ſic in eos fulminat Pater? Quia in voluntate ſua ſuffoderunt murum: Voluntas ſua, hæc in illos maledicta devolvit, quæ murum Sichimitarum ſubruit. Quod maledictum non ſperet aut non mereatur in Religioſis voluntas propria, quæ Religionem ſubruit? facilis enim ruina omnium, cùm velle cuique in cætu Religioſo ſuum eſt nec imperanti ſubditur.

4. DEUS vult habere adoratores in Spiritu & Verita-

Veritate. Habet hos in Religionibus, ubi adoratur per Vota, per Pietatis exercitia, & continuum in omnibus cultum sui. Sed tamen quis credat inter hos Adoratores, aliquem idololatram inveniri, tamen credendum id de eo, qui ad illam Samuëlis sententiam attinet: Quasi peccatum ariolandi est, Repugnare; & quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere. Nimirum apud talem voluntas propria idolum est, quod hic idololatra adorat.

5. Post murmur illud Israëlis, DEUS præcepit Moysi & Aaron: Loquimini ad petram, & dabit vobis aquas. Petra dura, concuti Virgâ debuit, deditque aquas non omnino svaves, sed aquas contradictionis. Malè si talis petra sit Religiosus, eique aliquid imperare, sit loqui ad Petram; aut certè si faciat, quod jubetur, facit non sine contradictione, repugnantia, & murmure. Hæ essent aquæ contradictionis; & Superior prout & Christus positus tunc in signum, cui contradicetur. Absit ut talis sit petra: sit potiùs ut Petra Christus, qui de se apud Prophetam ait: Ego autem non contradicam.

6. DEUS minatur quibusdam: Tradam eos in manus crudelium Dominorum. Præter alios ejusmodi crudeles, est voluntas propria, quæ te mancipium tuum efficit. Crudelis est, quæ cruciat per Synderesim, etiam inter svavia pro suo arbitratu usurpata: Crudelis, quæ infernum fabricat, & si hæc cesset, infernus non erit: Crudelis, quæ animas perimit, & DEUM Hominem occidit. Nihil eâ pejus, à qua omne malum, omne peccatum, flagitia & flagi-

tiorum ſupplicia. Exime te à jugo tanti Tyranni.

7. Vult DEUS ſacrificium cordis; nec illi placent excordes victimæ, etiam veteribus ominoſæ. Sacrificium cordis, eſt Sacrificium voluntatis ſine quo alia ſacrificia non ſapiunt, ita ut quibusdam objiciat: Ecce in jejuniis veſtris invenitur voluntas veſtra. Et certè in Religione hæc DEO ſacrificatur, in cujus ingreſſu dicis, debesque dicere: Non quod ego volo, ſed quod tu, DEUS; quod vos, Superiores, in loco DEI. Quare ingreſſurus Religionem, quaſi civiliter moriturus facit teſtamentum, quod eſt ultima voluntas; eò quòd poſtea nulla propria ſubſequi debeat; & illa eſt ultima propria voluntas ante ingreſſum; reliqua voluntatis arbitria DEO inſcribit, & poſtea per votum conſecrat. Ergo dicat inter ſacrificandum: Suſcipe Domine, univerſam libertatem meam; accipe voluntatem &c.

Non difficilis erit hæc abnegatio voluntatis propriæ, ſi ſit æſtimatio & prælatio Divinæ, quæ certò eſt in voluntate indicata Superioris, modò peccatum in imperiis non cernatur. Æſtimare autem DEI voluntatem is novit, qui DEUM, in quo ipſa voluntas DEUS eſt. Præterea aſſueſce indifferentiæ exercitio, aſſueſce victoriæ tuî etiam in levibus voluntati tuæ contrariis, cogita item tum motiva hìc dicta, tum illud, quòd ſacrificium voluntatis omnibus victimis DEUS præferat, præ quibus melior obedientia. Velis ergo ſic ſacrificare DEO in odorem ſvavitatis. Denique habes exempla præter Chriſtum, quæ te ad id accendant.

II. Cal-

II.

Calcar ad abnegationem intelle-ctûs in obediendo, ſeu ad cœcam obedientiam.

I.

PRæterquàm quòd ad holocauſtum pertineat hic totus homo; qui ut ratione conſtat, differtque à brutis; ita hanc etiam immolare debet, ſi vult de ſe DEO holocauſtum offerre; ſunt inſuper alia, quæ abnegationem intellectûs obedienti ſvadeant.

Svadet hanc titulus ſervorum DEI, quo gloriamur: *Ego ſervus tuus, Servus JEſu CHriſti.* Quid autem eſt Servus? In Jure, Servi dicuntur capite diminuti. Ratio hujus eſt apud Cajacium Juriſconſultum: *Quia propter amiſſam propriam libertatem, ratione & conſilio proprio privati, alienâ ratione & conſilio vivere ac agere coguntur.* Si Servus DEI es; vides jam, quid à te hic titulus requirat.

2. Svadent id & Scripturæ Divinæ exempla. Primùm de Abraham, qui imperium de immolando Filio non diſcuſſit. Unde Baſilius Seleucus ait: *Non dixit, ô barbaras præceptiones! ô imperia à naturæ legibus abhorrentia! Carnifex eſſe Filii jubeor? nec alia dixit, quæ ab ingenio potuiſſet.* Non mirum ergo, quòd illi tàm liberaliter à DEO benedictum. Secundum exemplum de Samuele Propheta, qui vocatus bis à Domino noctu, ab Heli ſe voca-

tum autumans, exiliit è strato, adfuitque dicens: Ecce ego, quia vocâsti me. Responsum illi, Non vocavi te, revertere, & dormi: tertiò vocatus, iterum prosiliit; Poterat tamen discurrere: Primò & Secundò parui, & deceptus sum; nec enim me vocavit Heli; Ergo & tertiò decipior; non igitur surgam: Hîc Gregorius Magnus ait: Puer humiliter homini subjectus, atque obedientiæ arduâ arce sublimatus; altissimæ nobis formam obedientiæ præbet: vera namque obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: Nescit judicare, quisquis perfectè didicit obedire: quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat. Hæc Gregorius sanctè, Sanctus: Pudeat, si vel pueri Samuelis Magisterio hic egeas, nec proficias. Tertium exemplum de S. Josepho Sponso Deiparæ ab Angelo in somnis admonito, & cæcè obediente; quod admiratus Divus Chrysostomus ait: Non dixit, Incerta ista res est: Paulò antè dicebas, quia salvabit populum suum; & nunc non potest de periculis liberare seipsum; sed fuga nobis necessaria & transmigratio longinqua. Sed horum nil prorsus opponit; vir enim erat fidelis. Inspice & fac secundùm exemplar.

3. Damnat insuper obedientiam discretam Patres seu suo judicio nixam & imperia discutientem. Certè S. P. Ignatius talem uno tantùm pede esse in Religione dixit. Damnat illam S. Bernardus dicens: Imperfecti cordis, & infimæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discu-

tere, exigere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit, nec unquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est talis obedientia. Hæc ille. Damnat eandem S. Laurentius Justinianus cùm ait: Sunt multi, qui post præcipientis imperium plurimas faciunt quæstiones; propter quod oritur murmuratio, excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Disputare hoc est in astu cordis, non in auditu auris obedire. Deniquè Saulem perdidit discreta obedientia de Amalecitis, unde illi dictum: stultè egisti.

4. Obedientia debet esse fidei æmula. Cæca pingitur Fides; credit, quæ non videt. Sic debet esse obedientia. Nam non cæca obedientia originem ducit tum à serpente illo dicente, & rationem investigare docente: Cur præcepit vobis Dominus? tum à prævaricatore Adamo, qui in statu innocentiæ cæcus nescijt se nudum; at cùm esset inobediens, aperti sunt & oculi. Præterea fides est ex auditu: sic & obedientia: obedio, idem est, quod obaudio. Certè illud ad Moysen & Aaron dictum à DEO: Quare non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram populo? Lorinus aliique explicant: Quare non obedistis mihi? ceu idem sit credere, & obedire: & è contra; vel quasi aliqua sit infidelitatis species, Inobedientia. Nempe ut hæresis opposita fidei, dicit pertinaciam proprii judicii, ita & obedientia discreta.

5. Mirum

5. Mirum, quòd Pythagoræ dicta tantæ fuerint auctoritatis, ut, quidquid diceret, etsi aliquid in contrarium occurreret; tamen, dummodo constaret, eum id dixisse, statim omni judicio contrario & discursu rejecto, assensum omnes præbuerint. Ratio hujus unica: αὐτός ἔφα, seu, ipse dixit. Ita felix fuit Pythagoras; & non sit ita felix DEUS in Superioribus, quibus dicit: Qui vos audit, me audit? certè & hìc, Ipse dixit DEUS, quod dicit ejus loco Superior.

6. Media ad abnegationem judicii & intellectûs proprii præter dicta motiva, videre licet tum in Thesauro Societatis in fine, de obedientia, ex libro 5. vitæ S. Ignatii per Ribadeneiram conscriptæ cap. 3. Tum in Tomo 4. Suarez de Religione. Huc conferent tum victoria sui ex dictis motivis, & exercitium abnegationis intellectûs in parvis etiam; tum humilitas; tum oratio pro consequenda hac abnegatione.

III.

Calcar ad ardua implenda Superiorum imperia.

I.

CAlcar præter dicta, dabit ipsa arduitas facti, nam magnanimorum est ferri in grandia virtutis opera; ibique sese hi ostentare gestiunt, ubi difficultas superata egregium probat. Ergo & tu Heroëm magnanimũ te proba: non imbellem pusionem,

nem, qui vix plumam attollat. Gigantes olim tulisse montes dicuntur; nec tu pygmæus esto. Virtus etiam in arduo sita; & Regula nostra in arduo collocat obedientiam, cùm parêre jubet; licet difficilia & secundùm sensum repugnantia jubeat Superior. Si non es alibi, hìc esto Martyr obedientiæ.

2. At nec vovisti te tantùm facilia facturum ex imperio: delicata hæc esset obedientia, quæ cum tali delectu imperiorum esset; idque foret obedientiam DEO valde restrictam promittere; ac si diceres: Voveo obedientiam, & voluntatem DEO immolo quoad faciliora; retineo eandem voluntatem mihi, plenè liber & Dominus voluntatis meæ quoad majora & difficiliora. Ridicula hæc & diminuta foret immolatio, nec ullatenus dici meretur holocaustum; quia nec totum, nec totaliter immolat. Ut illud omittam, quòd talis obedientia longè absit ab exemplari & imitatione Domini JESU obedientis ad mortem crucis, & tàm difficile præceptum adimplentis.

3. Non tu ergo primus es, qui ad id arduum obedientiæ urgeris. Non tibi quidquam tàm arduum imperabitur, ut fuit imperatum CHRISTO Domino propter te & mundi salutem; nempe inter tanta ludibria & cruciatus, mori in cruce. Quid Abrahæ præceptum de Isaac? quid aliis? nonne arduum? Imò quid præcipitur in Lege nova? Nonne tantùm levia? Quid præceptum de amore inimicorum? de confessione peccatorum? quid de aliis non levibus? Ad hæc num mollior tu sis miles in castris

CHRI-

CHRISTI, quàm miles in castris terrenorum Ducum, ubi tàm ardua tolerantur ac attentantur? Imò nec mortis pericula horrorem imperii incutiunt; & quidem id ob leve stipendium & famæ tantillum; quid tu ob majora.

4. Ut vincas hæc ardua; victoriæ de te propositum præcurrat, dum ardua hæc jam jam imminent. Addere licet votum particulare de arduo illo aggrediendo vel tolerando. Addere juvat motivum Amoris, qui nomen difficultatis erubescit. Ora insuper suppetias cœlestes, ut difficultatem primò vincere velis; dein re ipsâ vincas. Denique majora subsunt motiva & argumenta, quæ impellant ad victoriam, quàm ad ignaviam imbellem.

IV.

Calcar ad obediendum in omnibus, ubi peccatum non cernetur; item ad solum nutum Superioris.

I.

HÆc est notio obedientiæ Societatis, & objectum tàm latè patens; nempe obedire in omnibus, ubi peccatum non cernatur. Grandius quid offert DEO, qui talem obedientiam pollicetur, & profitetur. An levia sint, an gravia: grata, an insipida: dicitur.

diuturna, an brevia, non disquirit hic obediens; sed præceptum audit, & peccati ratione in præcepto non deprehensâ, id sentit, vult, & exequitur, quod præcipitur. Alii laboriosè discurrunt inter majorum imperia; hic sine labore solum peccatum excipit à parendo.

2. Voluntas DEI, ejusque reverentia, est potissimum obedientiæ motivum: nempe quia vult DEus, quidquid Superior præcipit citra noxam. Unde dicitur: *Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit.* Non tam ergo voluntas illa Superioris est, quàm DEI per Superiorem indicata; ideoque homo ultimò movetur ad parendum: Quia id vult DEUS, quod Superior. At DEI voluntas quælibet sancta, quælibet justa, & non est iniquitas in ea; quid ergo secernas aliqua, quæ vult, ab aliis inter obediendum? voluntas DEI est Regula bene agendi, est justa ratio obediendi; Quidni ergo obedientia sit intenta in omnes voluntates ejus.

3. Non potest non grata esse DEO talis obedientia, quia liberalis & holocaustifica: est enim obedientia sine exceptione quoad bona imperia, vel quibus nil inest mali moralis: eadem est honorifica DEO, quia omnibus imperiis DEI per Superiorem expositis reverentia exhibetur: Honorifica & tibi; quia victorias sæpè loquitur & conciliat. Eadem est svavis animo & conscientiæ quòd illa te non arguat refractarium; & insuper svavitatem auget pax interna; quæ non est, ubi voluntatis rebellio, seu bellum inter voluntates præcipientis & subditi.

Eadem

Eadem utilis ob tot meritorum copiam, quot imperiis obeditur.

4. Quod si timeas, ne tibi hâc latissima, obediendi lege, subeundæ sint pro libitu Superioris vel mille cruentæ indies disciplinæ, vel continuæ Chameuniæ seu humicubationes, continuum in pane & aqua jejunium, vel alia difficillima, in quibus nullum videatur subesse peccatum; Ab hoc te metu libero: nec enim ille præcipere poterit voletvè per Regulas Societatis, nisi quæ congrua Fini Societatis, & ad absolutam perfectionem nostrarum Constitutionum conducunt, ut explicat Suar. to. 4. de Religione: non omnia verò ex dictis modò, vel difficilioribus, ad id conducunt. Certum tamen est, quòd multa ardua ad Finem Societatis congrua imperare possit. V.g. ad conversionem Gentium barbararum mittere, ubi possit esse etiam periculum vitæ, ad obsequia pestiferorum designare; ubi vides rem arduam, sed Fini Societatis convenientem. Certum item est, quòd etiam res graves possint Regularibus imponi in pœnam delicti; & tunc tenetur reus illas subire ex sententia Theologorum.

5. Adhuc obedientiæ nostræ perfectio se extendit ad nutum etiam Superioris implendum, citra ullum imperium seu præceptum. Nempe perfectiùs est agere ex amore, quàm ex timore, quo percellit præceptum. Item obedientia unicè spectat voluntatem Superioris, à qua dependet; sive ergo illam noverit præcipientem; sive aliter; facere id, obedientiæ laudi congruit. Præterea infimæ virtutis est,

eſt, ſi obedire promptus non ſis, niſi tibi dicatur explicitè: Obedi, Fac hoc, quod tibi ſub peccato, vel in virtute obedientiæ impero, & tamen talis eſt obedientia, quæ expectat præceptum: iſti enim non obedire, peccatum inducit. Inſuper amanti non eſt neceſſe præcepta imponere; facit in gratiam amati, quod illum velle citra ullum etiam imperium novit. Atqui amor DEI nos impulit in hæc votorum vincula; amor ſvaſit ſe ſubdere homini propter DEUM, & vocem Superioris acceptare, ut vocem DEI; quidni ergo ſe ad illum agendi morem hìc extendat, qui congruit amoris ingenio? Deniq́ue is facit juxta cor DEI, qui nutum illius minimum vel indicium voluntatis ſeu inclinationis in aliquam partem exequitur. Ergo ſic age, ſic etiam obedi. Es in ſtatu hujuſmodi, ubi conſilia etiam implentur, non ſola præcepta.

V.

Calcar ad Indifferentiam & ad alias perfectiones obedientiæ Religioſæ.

I.

VIrtutũ Indifferentiã Obediẽtiæ perfectio requirit. Sanè Indifferentia hæc ſubditi non eſt obnoxia errori, quem amor proprius ſæpius cæcus inducit, cùm in uam partem concupitam inclinat. Eadem indifferentia eſt Mater pacis internæ atq́ue gaudii;

dii; ſicut oppoſitum eſt origo tricarum & triſtitiæ, ſi non ad mentem res contingat. Liberat eadem multis ſollicitudinibus, dum jactat quis cogitatus ſuos in Dominum, cui cura eſt de nobis. Certè deſiderium ipſum propendentis in unam partem, eſt pœnale afflictivum, ſi res differatur vel negetur; indifferentem nil tale affligit, quia nil ejus voluntati ac deſideriis, ad utrumlibet paratis, contingit repugnans. Quid quòd mentis hoc æquilibrium, indicium ſit altioris prudentiæ, ut quæ rebus ſuis meliùs conſulere ſe novit per DEUM aut DEI interpretem, quàm per ſeipſum! Nil hìc ſuſpectum eſt, ubi quis regi ſe Divinâ providentiâ permittit; at ſuſpectum, dum ſuis obſecundat, vultque Superiorem velificari votis; eò quòd ſæpè affectu aliquo laboramus. Equidem in rebus etiam bonis fallimur & ſæpius in iis non eſt DEI voluntas; ut etiam S. Paulum volentem ire in Macedoniam, prohibuit Spiritus Sanctus; & tamen zelus ſalutis alienæ illuc impellebat Apoſtolum. Non omitto & illud, quòd hæc indifferentia habeat laudem conformitatis cum Divina voluntate miris laudibus exornari ſolitæ; dum dicit DEO in Superioribus gubernanti: Non quod ego volo, ſed quod tu: Domine ſi vis: ut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat: Paratum cor meum DEUS: Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

2. Perfectioni obedientiæ plurima adhuc noſtræ Conſtitutiones præſcribunt, ut ſunt illa: obedire promptè, integrè, fortiter, cum humilitate debita, ſine excuſationibus & murmuratione, non repugnando,

gnando, non contradicendo: quâvis re, imo etiam literâ imperfectâ relictâ, ad vocem Superioris prosiliendo: cum ſpirituali gaudio & perſeverantia: in ſpiritu amoris: tanquam CHRISTO: etiam ſubordinatis Officialibus parendo. Equidem ſi unus actus obedientiæ Abrahami, tanta illi dona & benedictiones induxit; quid non ſperandum de omnibus & tam perfectis obedientiæ Religioſæ actibus? Adhæc omnes illæ perfectiones in obediendo tantò juſtiùs exiguntur, quantò magis vel ex hoc uno capite conſentaneæ videntur, quòd non tàm hominibus, quàm CHRISTO ipſi velint nos obedire; ſicut Domino, & non hominibus. An enim ſi CHRISTUM coram haberes, ipſumque audires aliquid imperantem vel ſimplici voluntatis ſigno à te aliquid requirentem, non ſtatim promptè, integrè, ſine contradictione, & cum enumeratis perfectionibus id faceres? Idem à te exige, cùm obedis CHRISTO in Superiore. Qui vos audit, me audit.

VI.

Subjectio ſui ipſius, creaturæ propter DEUM per Funus voluntatis: Abdicationem libertatis: per Captivationem intellectûs in obſequium Superiorum.

I.

AD subjectionem hanc Apostolus Petrus omnes incitat dicens: subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, tanquam præcellenti: sive Ducibus, tanquam ab eo missis: hæc est enim voluntas DEI. Quod si aliis omnibus subjectio hujusmodi incumbit; quid iis, qui per votum obedientiæ ad illam arctiùs obligantur! Et satis efficax quoad utrosque ratio, voluntas DEI; etsi quoad Religiosos tantò sit justior hæc voluntas, seu quòd justius id ab illis exigat. Porro nemo magis subjectus alteri, quàm qui tria hæc præstat; nempe voluntatem funerat seu sepelit, libertatem abdicat, captivat intellectum in obsequium. Qui per hæc tria subjectionem prædictam exercet, perfectè voluntatem DEI & votum hoc implet.

2. Primò ergo ad hanc subjectionem conducit Funus voluntatis propriæ. Quamdiu hæc vivit, obedientia brutorum esse potest, non hominum vel servorum DEI. Bruta agunt, quia aguntur & coguntur; etsi pleraq; sint contra eorum appetitum; unde etiam illis reluctantur. Ut sit Servorum DEI, non brutale obsequium; abesse debet & perimi voluntas propria: si enim vivit hæc, jugum etiam non fert, præter brutorum etiam morem: pugnas ciet inter DEUM & homines, secum & cum conscientia, sibi & communi disciplinæ exitium accersit: melius ergo illi est funus, quàm vita. Mortua voluntas propria vitam meliorem parit, estque ipsa felicior, quia nihil eam tunc affligit; ut cadaver nil sentit!

ſentit! & ſi aliquid humiliativum occurrat, ſcit cadaver horrorem ſibi & abjectionem deberi: Ergo, Voluntas propria, funus & ſepulchrum ſubi; votum obedientiæ tibi id aperit, & tecum omnia in tumulo recondit, quæ perfectionem obedientiæ impediunt. Tumulus tuus perquam Magnificus eſt in voluntate DEI: portitores tui ad tumulum, eſt amor æternorum & DEI, horror æternorum & peccati, imitatio DEI Hominis & victoria tui ipſius: Sepulchrum claudit voti obligatio: Epitaphium hoc habeto: Væ, ſi reſurgat.

3. Subjectio prædicta amat abdicationem Libertatis; nec ſatis eſt tumulâſſe voluntatem. Nempe hoc cadaver vivum eſt, proinde in tumulo ægrè ſe voluntas includi patietur, niſi libertate ſe exuat, quoad oppoſitum præſcripto Superiorum. Et par eſt eâ ſe exuere, niſi velit jus Divinum lædere in Superiore; aut ne filiam ſe rebellis Luciferi probet, qui libertatem & independentiam ab imperio affectavit primus: Cede ergo libertatem DEO, & Superiori propter DEUM: ſi illam captivas; augebis CHRISTO pompam in cœlum captivam ſecum deducenti captivitatem. Si eandem generosè abdicas; tunc primùm verior eris DEI Servus, cùm libertate exutus; nec minùs Cœli benevolentia te, quàm Cæſarem abdicantem faſti Scriptorum, extulerint.

4. Deniqùe hæc eadem ſubjectio compedes injicit intellectui. Cùm enim ſubjectio plena dominium omne excludat; nec Dominam voluntatem patitur,

patitur, nec rationem propriam, cui moderamen actionum competit. Nam & ratio moderatrix voluntatis ſæpius errat; ab errore autem eximit illam hæc ſubjectio. Certè vincula & compedes debentur furioſo, & te per errores, quibus obnoxius es, in præceps deducturo. Ergo eat in nervum, & compedes intellectûs: captivat illum Fides? captivet & obedientia perfectior. Nemo in libertate felicior, quàm ille in hac captivitate propter DEUM.

VII.

Idea Perfectisſimæ Obedientiæ.

I.

AD Ideam virtutis reſpiciens duo commoda refert. Nam & exemplar illum dirigit in ſimilis virtutis exercitio; & invitat exemplo ad conatum. Quò illuſtrior Idea, eò inſignius ideatum. Quare Obedientiæ illuſtres Ideas propono, ut inſignior imitando evadas.

Prima Idea ſit DEUS, tum in concurſu præſtando pro libitu libertatis creatæ, cui ſuam Omnipotentiam pœnè dat in manus; ut, cùm vult, ad quod vult, cum illa concurrat, obediente DEO voci & voluntati hominis: Tum in voluntate & deſideriis hominum implendis, ut de juſtis Pſaltes ait Voluntatem timentium ſe faciet Dominus; & voci Joſue: Sol ſta, ne moveare contra Gabaon, obedivit. Vide item, quomodo nobis inſerviat in creaturis, in igne calefaciat, in ſole illuminet, in terra ſuſtentet, in a-

quis

quis abluat & restinguat. Quid tam nobilis Idea non persuadeat? quid in tua obedientia tergiversante, multa obtendente, delectum imperiorum & Superiorum admittente non carpat.

2. Secunda Idea obedientiæ perfectæ sit CHRISTUS. Primò præceptum tàm arduum, per crucem subeundam mundum redimendi acceptans, promptè illud dixit. Ecce venio. Secundò. Obedivit promptè ex charitate: ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem: sicut præceptum dedit mihi Pater, sic facio. Promptitudinem ejus obedientiæ, illa verba innuunt: Meus cibus est facere voluntatem Patris mei. Tertiò. Ideam ejusdem virtutis dedit in obedientia ergaB. Virginem &S. Josephum: Erat subditus illis. Quis, quibus & in quibus? Quartò. Ideam dedit obedientiæ Principibus sæculi; cùm exiit edictum ab Augusto; paruit tunc in Matre. Quintò. Obedivit Legi veteri quoad circumcisionem, quoad oblationem, quoad Sabbata & Festa, quoad cerimonias leprosorum commendatas, quoad omnia legis impleta; unde dicebat: Non veni solvere, sed adimplere, usque ad jota & minimum apicem. Sextò. Ex oratione ad Patrem in horto Gethsemani idem colliges: Non sicut ego volo, sed sicut tu: Fiat voluntas tua. Septimò. Quoad carnificum in Passione vota & ductum, quocunq; impellerent usque ad Golgothæ collem, obediens ad mortem usque crucis fuit. Octavò. Quoad obedientiam Sacramentalem, dum ad verba Sacerdotis cujuscunque, quandocunque, ubi-

cunq;, sese sistit sub speciebus Panis & Vini: inferri se sinit, quò libet, & quandò; hic vel maximè & stupendè obediente DEO voci & voluntati hominis. O Ideam admirabilem! Fac secundùm exemplar obedientiæ, qui eam vovisti.

3. Tertia Idea sit B. Virgo obedientissima DEO. Unde S. Augustinus de CHRISTO ait: Quem non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis. Et Irenæus: Svasa est obedire DEO, ut Virginis Evæ Virgo MARIA fieret advocata; æquâ lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Paruit Legi humanæ quoad edictum Cæsaris: Paruit Legi Purificationis, nil obtendens, quod potuisset: Paruit quoad consvetudines diei festi: Pœnè etiam paret, quoad humanarum precum & votorum exauditionem.

4. Quarta Idea tum in Angelis, de quibus illud: Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, qui facitis voluntatem ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus: Tum in Propheta: Ecce ego mitte me: Tum in Apostolis: Qui sunt isti, qui ut nubes volant: Tum præter alios in nostro Novitio, qui à Patre Joanne Pujolo jussus ramum aridum irrigare, donec viresceret, paruit; viruitque Arbor obedientiæ dicta.

5. Quinta Idea sint res creatæ irrationales. Primò Propheta ait: Mittes fulmina; & ibunt. Item alius: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Ordinatione tuâ Domine, perseverat dies; quoniam omnia servi-

un-

unt tibi. Alius de Stellis: Vocatæ dixerunt: Ad ſumus. Item Job 38: Circumdedi mare terminis, & dixi: usque huc venies: En Imperio DEUS utitur pro clauſtro; & tam ſævum mare uno miti Imperio continet! In Evangelio item legimus tempeſtatem maris compreſſam verbo illo CHRISTI: Tace, obmuteſce: ita ut homines mirarentur: Quis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei? DEUS bone! quem hæc obedientiæ exempla non confundant! quem non exſtimulent.

Claudam dicta de obedientia illo monito: ut & in minimis ſit exporrecta & prompta, cùm enim exequendo voluntatē Superioris, exequamur voluntatem DEI; par eſt meminiſſe, quòd S. Hieronymus in Epiſt. Jacobi cap. 2. ait: Non debemus aliqua præcepta DEI quaſi vilia & parva negligere; ſed imperantis in omnibus majeſtatem aſpicere: Nullum quippe mandatum DEI contemptibile nobis videri poteſt, ſi ejus ſemper cogitemus Auctorem.

DIES RENOVATIONIS, VEL PRIMÆ INSTAURATIONIS VOTORUM.

Hodie impenſius DEO vacandum, piis indulgendum affectibus, & congruæ tanto actui devotioni: nec labor præcedentis tridui, quod in hujus Divi ſolennitatem ſollicitè laboravit, permittatur eſſe irritus. Tria ad id conferent; alia, quæ renova-

tionem votorum hoc ipso die praecedent; alia quae comitabuntur; alia, quae subsequentur.

§. I.

Antecedentia Renovationem Votorum.

Quaedam jam praemissa Renovationi huic per totum antecedens triduum; alia proximè ipso hoc die proximè praemittenda hic afferentur.

I.

Denominationes & stimuli ferventis Renovationis antè recolantur.

I.

RENOVARE seu repetere illa, quae primò fuerunt, & semper sunt bona, Deoque perquàm grata, inter quae sunt vota Religiosa; non minus est laudabile, quàm primò fuerit; imò ex modo renovandi serventiore potest laus prima superari. Sed votorum Renovatio, habet insuper, unde laudem & decus voventis augeat, nimirum ex Renovationis denominationibus descriptivis. Vis scire, quid sit haec Renovatio? Est approbatio sensûs & actûs primi, quo te DEO devovisti; Est approbatio voluntatis promptae serviendi DEO, adeoque servitutis Divinae: est renovatio

tio guſtûs Divini, & intentio ejusdem renovandi, quem habuit habetque ex eo, quòd illi ſe devoveat creatura: Eſt confirmatio pactorum & contractûs ſponſalitii cùm CHRISTO Animarum Sponſo: Eſt gaudium & proteſtatio gaudii de vocatione Divina: Eſt anhelatio repetita ad finem Societatis zelantis gloriam Divinam, & pro ſalute animarum; ex quo motivo vovebis iterum: Eſt approbatio voluntatis, terrena propter DEUM conculcantis: Eſt iterata renuntiatio terrenis, ex motivis æque altis, ut antè, vel altioribus: Eſt actus approbans ea omnia, quæ in titulis encomiaſticis triginta, hîc ſecundo die vidimus laudabilia; adeòque ſi prima votorum emiſſio eſt quid heroicum, eſt adoratio DEI in ſpiritu & veritate, eſt latria in DEUM, Donatio ſui DEO, Proteſtatio amoris erga DEUM, Martyrii quædam & Baptiſmi ſpecies, Crucifixio mundo & concrucifixio CHRISTI Cruci, metamorphoſis in Crucifixum, ſubjectio ſuî totalis ad DEI famulatum, victoria & triumphus de mundo & de ſeipſo, dedicatio ſuî & ſacrificium holocauſticum Deo, &c. omnia hæc actus renovantis vota, approbat & intendit ſanctiſſimè: Eſt item eadem Renovatio iterata deditio ſuî forti oppugnatori, imò expugnatori cordium DEO: Eſt actus confirmans & ſtabiliens voluntatem in amore vocationis & ſuſceptæ obligationis: Eſt commemoratio ejusdem obligationis ultrò per vota in gratiam DEI ſuſceptæ, adeòque novum calcar ad exequenda DEO promiſſa: Eſt reſumptio & reaccenſio fervoris tum in toto

ſervitio DEI, tum ſpecialiter in votorum amore & fervidiore obſervantia, adeoque condemnatio præteriti quoad hæc torporis: Eſt compenſatio fortâſſe minùs fervidæ, nec ita illuminatæ primæ votorum inſtaurationis: Eſt repræſentatio & imitatio omnium, qui in hac Religione eandem Renovationem votorum aliquando fecerunt, facientque; & gaudium ex eo, quòd cum illis, humero uno ſub eodem Duce Ignatio, DEO ſerviam, militemque; meum frigus, eorum fervore in hoc actu Renovationis ſupplendo, eundem mihi apprecando coram DEO & toto cœlo. Hactenus denominationes Renovationis, quas intendere poteſt renovans vota, & ſimiles plures addere ad majus ejusdem Renovationis pretium, & devotionis ciendos igniculos.

2. Quoad ſtimulos ferventiùs renovandi vota, & animo promptiori; ipſa inprimis votorum prompta nuncupatio in primordiis Religioſæ vitæ ſtimulus eſto. Quod ſemel juſtam animo voluptatem ingeſſit, dulce eſt repetere, ſi ſuâ non exuitur voluptate; at hic non exuitur; quia nec ſuâ unquam dignitate exuitur DEUS, cui vota & primò fiunt, & ſæpius repetuntur; nec amor in eum exui dulcedine poteſt, uti nec perpetuitate debet. Adhæc immutabile id bonum eſt, quod in votis Religioſis latet abſconditum à ſæculo; adeòq; tàm ſemel, quàm ſemper voviſſe ſalubre eſt. Quid quòd ſacrificium ſibi juge voluit offerri DEUS de Agno & thymiamate; & non juge fiat aut perfrequens de te ipſo? Addent ſtimulum ea, quæ ſuprà habes de beneficio

vocati-

vocationis Religioſæ, uti & vocationis ad Societatem JESU: qui gaudet ſe hâc Margaritâ pretiosâ potitum; amat id, per quod illâ potitur, quod eſt votorum vinculum. Addat & illud, ſtimulum; quod ſuprà ex Theologis innui; ex quorum ſententia apud Layman, etiam Renovatio votorum quælibet remiſſionis omnium peccatorum vi pollet, ut prima eorum emiſſio, quæ baptiſmo quoad effectum hunc, ſecundùm SS. Patres æquivalet. Vis plures ſtimulos? congero: Venerunt mihi omnia bona cum hujuſmodi Renovatione. Per hanc ſimul refovetur Spiritus, revocatur fervor, nova lumina menti & promptitudo in melius Dei obſequium ingeritur, interior & exterior homo renovatur, pro præteritis culpis DEO ſatisfit, in nova animus præmunitur, ac induitur virtute ex alto; nitor priſtinus mentis revocatur, non amiſſus augetur aſtatim, gratiæ actuales præter ſanctificantis gratiæ augmentum emerentur. En ſtimulos! Durum eſt tibi contra tot ſtimulos calcitrare.

II.

Præparatio Proxima ad Renovationem votorum, vel primam eorum inſtaurationem.

I.

PRæter præparationem triduanam, hodie tantò magis præpara animam tuam. Hæc verò præ-

paratio poteſt materiam diverſam & locupletem ſumere, tum ex illis votorum nuncupatorum titulis encomiaſticis quos ſupra attulimus; tum potiſſimùm ex titulo ſacrificii, quod hìc myſticè adumbratur. Sit ergo hæc velut præparatio ad ſacrificium incruentum in ara cordis peragendum.

2. Hæc verò Præparatio ad ſacrificiū ut ritè fiat; Primò cogita, quid te ex parte DEI, quid ex parte tuâ & proximorum ad id ſacrificium incitare posſit. Ex parte DEI, Dignitas & Dominium ſupremum idemque ſvaviſſimum DEI, ſupremo cultu & glorificatione Digniſſimi. Item ſumma DEI beneficentia, & beneficia, quibus nos tantopere ſibi præterito ſemeſtri obſtrinxit; & hinc accendere ad exhibendum ei ſacrificium de te Latreuticum & Euchariſticum ſeu gratiarum actorium. Ex parte tua obiter recole delicta tum ſemeſtris ſpatii præteriti, tum vitæ totius: item tuas indigentias & neceſſitates morales, animæ & corporis; & hinc accendere ad ſacrificium de te exhibendum tum Propitiatorium, tum Imperatorium.

3. Dum hæc incitamenta Myſtici tui ſacrificii recolis, duobus potiſſimùm immorare: nimirum recogitando beneficia præteriti Semeſtris à DEO, & cœlitibus accepta, actiſque pro virili gratiis pro ſingulis; adhuc erumpe in illum Davidis affectum: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam in conſpectu populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tuî Jeruſalem, ſancta Societas: Item conferendo benefi-

beneficiis tuam ingratitudinem, obiter delicta præteriti Semestris spatii recole, & deprecatione DEI totiusque cœli adhibitâ, te velut Hostiam pro peccato offerre in Religione ceu statu pœnitentiæ constitue.

4. Eadem præparatio exiget quàm maximam emundationem victimæ, ut sit oblatio munda. Quare præter Sacramentum pœnitentiæ, vacandum hic liberalius contritioni, ex motivo repugnante omni peccato etiam levissimo; & dignis fructibus pœnitentiæ, de quibus etiam agitur in Face Ascetica, nempe & hic iteratus Religionis ingressus postularet illud à te dici: Ego autem in innocentia mea ingressus sum.

5. Adjungi poterit debebitque contritioni Humiliatio tuî profundissima, non tantùm ratione Majestatis Divinæ, sed etiam nostri nihili, & fœditatis à tot culpis attractæ. Dixeris proinde: Quid est homo, quod memor es ejus? aut quid apponis erga eum cor tuum? Respexisti super canem mortuum, & pulicem vivum, ut ille dicebat. Porro quò profundior fuerit tuî humiliatio, eò justiùs dices illud: In Spiritu humilitatis & animo contrito suscipiamur à te Domine & sic fiat Sacrificium tuum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine DEUS.

6. Præparatio hæc adhuc exigit ornatum victimæ & Sacerdotis. Eadem est hìc victima & Sacerdos: Sacerdos Amor; & victima eodem flagret, ut deinde in holocausto conflagret. Ornatus hic de

ſumetur à variarum exercitio virtutum, quibus nil pulchrius cum gratia ornat. Nec ſat interno earum exercitio vacare, puta Charitatis in DEUM & proximum, zeli pro utroque, Reſignationis, Laudis, Gratitudinis, Spei eorum, quæ ſequentibus Chriſtum promittuntur, Liberalitatis in DEUM, contemptûs terrenorum, Donationis & Dedicationis tui DEO, Aſpirationis ad CHRISTI & Sanctorum imitationem, Conſpirationis cum violentis in Cœlum, &c. Sed etiam externa virtutis exercitia conjungenda, v. g. durior lectus eâ nocte, matutina corporis diverberatio, cilicium à mane ad prandium, vel breviùs, aliæque mortificationes, & exercitia pietatis. Ad idem propoſitum juvat tum ornamenta veteris Legis, tum novæ Sacerdotum ad ſacra accedentium myſticè æmulari. Inſuper ad id ſervient ſequentia.

7. Præparatio adhuc fiet per conſiderationes prævias. Duplices hìc intellige conſiderationes: primò illas, quæ ad meditationem diei illius pertinent; deinde alias ſupererogatorias.

Quoad materiam meditationis diei illius ea quadruplex erit, totidem veluti punctis comprehenſa. Primò. Formula votorum per ſecundum vel tertium modum orandi coram DEO decurretur, tali affectu devotionis & fervoris, quo velis te ad aras DEO devovere, ad maximum ejus guſtum, & cum eximia actûs ſublimatione in odorem ſvavitatis. Unde pactum inibis cum DEO, quòd ſic velis, & tantò melius Formulam votorum palàm proferre;

ut

ut nunc eandem coram DEO accuratiùs expendisti. Ubi etiam adverte contractum te quemdam cum DEO tunc facere coram curia cœlesti, & tot cœli testibus, quo te DEO donas & dedicas; vicissim nihil aliud exigendo, nisi auxilium implendi promissa. Cogita item quid in hac vocula, Voveo, velis intelligi cum DEI gustu majore; nimirum illa hìc intelligendo, quæ in titulis encomiasticis votorum suprà, & hìc proximè in denominationibus Renovationis sunt posita. Secundò. Affectibus congruis, de quibus mox, immorare ac Intentioni altissimæ, tuî dedicationi præmittendæ. Tertiò. Festi occurrentis circumstantias, & Evangelii ejusdem Festi aut Dominicæ sententias in Renovationis circumstantias deflecte, præter alios congruos iis sententiis fructus. Quartò. Confer, quid tu DEO offeras & dones; & quid ille tibi vicissim, tum aliàs, tum nunc in SS. Eucharistia: & hinc tua tibi dona vilescant; nec putabis te aliquid dignum DEO, vel par dono illi cœlesti offerre: plusque tibi jam reddendum, quàm des ipse DEO: imo plùs gratiæ tibi præstari, quòd te dignetur DEUS talem recipere, qui suorum bonorum non eget; & te mutuò bonis suis & toto se locupletare. Gaude tamen te à DEO vinci, & humanam tenuitatem illi succumbere. Deniquè aude quàm primùm dicere; Do ô Domine, ut des: do libenter tantillum, ut te recipiam tantum.

Aliæ considerationes supererogatoriæ hæ esse poterunt. Nimirum assumi poterunt variæ for-

mæ pro ratione titulorum CHRISTI, puta vel Regis, cui homagium vel tributum reddas; vel Domini & Hæredis; cujus in hæreditatem te iterum inscribas; vel sponsi, cui te totum tradas: vel Dunis, cujus militiæ Sacramentum renoves, ejusque te ciexillo inscribas; vel immensi bonorum Oceani, vn quem tu velut rivulus refluas: Tum consideratio æstimativa Religiosæ ad Societatem vocationis juxta suprà dicta hac de re: ubi etiam Religio potest cogitari velut Urbs refugii contra pericula salutis & sæculi; velut portus securior contra ejusdem procellas, in quibus alii absorbentur & pereunt: vel ut Arca Noë contra diluvii aquas; Quis mihi det pennas columbæ? & volabo, & requiescam in ea? Tum cogitari poterunt stimuli ad renovationem ferventiùs peragendam primò positi sub hoc paragrapho: Tum tituli & causæ promptè ineundi & continuandi æternùm servitii Divini. Tum cogitare licebit cruentum CHRISTI Sacrificium in cruce pro te, peractum; ut tu hoc tenuissimo & vilissimo tui Sacrificio illud rependas: Tum recogitando aliorum de se Sacrificia tum Martyrum, tum Religiosorum; & conando eorum fervorem in simili tui oblatione æmulari.

9. Per intentiones Sanctissimas, altissimas & purissimas, huic actui congruas, fiet hæc præparatio. Porro etsi quadruplex finis & intentio Sacrificij statuatur, nimirũ cultus & glorificatio DEI, Gratiarũ actio pro beneficiis, satisfactio pro peccatis & propitiatio, deniq́ue impetratio rerum aliquarum; tamen

men addendæ erunt aliæ adhuc intentiones tum ex fine Societatis intento; tum ex motivis aliarum virtutum, tum juxta Praxim sublimioris intentionis, si quam habes, & quæ est infrà; in unione item Sacrificii CHRISTI & oblationis, quâ idem CHRISTUS se in ara crucis obtulit, & in Sacrificio altaris offert: item oblationis, quâ se DEO in Præsentatione, & CHRISTUM in Purificatione obtulit B. Virgo; item oblationis, quâ se alii DEO dicârunt dicabuntque; & in unione omnium Sacrificiorum à quocunque quandocunque DEO exhibitorum ac exhibendorum.

10. Fiet hæc Præparatio per affectus congruos hìc præmittendos. Esse præter alios, hi poterunt. Primò, Admiratio, quòd te receperit in servum, & retinere velit, ideoque sibi iterum votis obstringi. Secundò. Æstimatio hujus gratiæ. Tertiò. Gratitudo pro eadem. Quarto. Recognitio iterata Dominii DEI. Quintò. Adoratio Majestatis, & totalis tuî eidem subjectio. Sextò. Deprecatio læsæ Majestatis & SS. Cœlitum, exacto Semestri spatio. Septimò. Compensatio internis actibus augmenti gloriæ Divinæ & salutis animarum neglectæ. Octavò. Valedictio iterata mundo, & renuntiatio pompis sæculi: conculcatioq; terrenorum amore Creatoris. Nonò, Promptitudo ad vocem Christi, sequere me; Ecce venio. Decimò. Inscriptio suî inter ejus mancipia, Sangvine Christi. Undecimò. Ratihabitio alienorum ardentissimorum affectuum in simili suî oblatione, & Renovationibus. Duodecimò.

cimò. Eorundem affectuum assumptio, & imitatio, & oblatio. Decimotertiò. Electio assistentium huic tuo Sacrificio Cœlitum, qui te adjuvent, exornent, & DEO præsentent ac offerant. Decimoquartò. Invocatio eorundem, & inprimis opi Divinæ & Spiritûs Sancti. Decimoquintò. Desideria accensa tuî, quàm primùm offerendi iterum, millièsque, & ut numerus Servorum DEI, & fervor servitii in omnibus augeatur. Baptismo habeo baptizari; quomodo coarctor, donec veniat.

Præter dictos affectus has sententias S. Scripturæ usurpare poteris, vel aliquas in corde volvere. Quando veniam & apparebo in conspectu DEI? Aperite mihi portas justitiæ; ingressus in eas confitebor Domino. Introibo in Domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia. Holocausta medullata offeram tibi. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Elegi abjectus esse in domo DEI, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Quid retribuam Domino; pro omnibus quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam in conspectu populi ejus, in medio tuî Jerusalem. Hìc habitabo, quoniam elegi eam. Hæc porta Domini; justi intrabunt (ô sim utinam & ego justus) per eam. Non est hìc aliud, nisi domus DEI, & porta cœli. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Ivimus viam trium dierum in solitudinem, & immolabimus Domino

mino DEO noſtro. O anima mea immola DEO Sacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua! Et Sacrificium noſtrum pingue fiat. Bonum eſt viro cùm portaverit jugum ab adoleſcentia. Jugum ejus ſvave, & onus leve. Venite adoremus & procidamus ante eum. Venerunt adorare in Jeruſalem: ut & ego veniens adorem eum: venimus cum muneribus adorare Dominum. Placabo illum muneribus, & poſtea videbo illum; dicebat Jacob ex Meſopotamia occurrens Fratri majori, eidem indignabundo. Juverit & vocem Domini audire ad nos dicentis: Venite ad me, qui laboratis & onerati eſtis &c. venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. Gloria magna ſequi Dominum.

§. II.

Concomitantia Renovationem Votorum & primam nuncupationem eorundem.

Prædicta Superiori Paragrapho exerceri poſſunt usque ad tempus ipſiuſmet Renovationis, & repetendæ in Sacrificio Miſſæ Formulæ votorum; etſi

tunc

tunc etiam aliæ solitæ & congruæ huic diei & actui Præparationes ad Communionem simul sint adjungendæ; jam verò concomitantia; quæ hic afferentur, etsi proximè ante Formulam votorum exerceri possint, tamen saltem ex pacto cum DEO in ipsa tuî oblatione per vota renovata includi & affectui impressa esse debent.

I.

Affectus Renovantis vota Religiosa vel primò eadem nuncupantis.

VT holocaustum nostrum pingve fiat juxta Votum Psaltis Regii, Sanctis affectibus impingvetur; quorum aliqui paulò ante excitentur & ex pacto cum DEO in prolatione Formulæ votorum includantur; aliqui etiam actualiter animo impressi esse poterunt. Hi autem sunt. Primò. Idea quorumvis sese ferventissimè DEO dedicantium, & quicunque maximo Divino gustu unquam renovârunt vel renovabunt vota Religiosa, menti & affectui impressa retineatur; & juxta illam, ac in unione illius ardoris, ac unione Sacrificii Theandrici & Mariani renovatio aggredienda. Secundò. Renovatio altissimæ Intentionis & præcedat, & inhæreat menti, nempe DEUS Affectum pensat non Censum; & ex quanto potius vel quomodo, quo affectu, non quid offeratur. Tertiò. Dulco-

Dulcoratio votorum tum in comuni, tum in particulari ex Motivis secũdo & tertio die positis, strictim & obiter approbatis. Quartò. Dulcoratio & approbatio statûs, quem renovatione votorũ ratificas; Statûs inquam tam beati & beatifici in terris; tum ex Fine Societatis, ut per hoc sit renovatio hæc, actus zeli insignis; tum ex motivis in æstimatione vocationis Religiosæ indicatis, & hìc strictim & obiter approbatis. Quintò. Particulæ, Voveo Divinæ Majestati, fit actualis inclusio tum denominationum Renovationis Superiori § primo numero positarum; tum actuum insigniorum, qui in votis Religiosis & in Titulis eorum Encomiasticis, sub Die secundo indicantur; ita & Voveo, æquivaleat eidem quod, Sacrifico me, dono, dedico, sequi Christum & imitari volo, Concrucifigo Christo, pono actum amoris Divini & Latriæ, &c. Sextò. Dulcoratio svavis jugi Christi, cui me iterum libens submitto; item Servitii Divini, cui me iterum totaliter subjicio, totum ex toto. Septimò. Misceatur affectus internæ humiliationis tuî, ex agnita indignitate tuâ, tum ut annumereris inter tantos DEI Servos, quales habuit habetque Societas; tum ut à te quidquam recipiat tanta & toties â te læsæ Majestatis reo Divina Majestas. Octavò. Recognitio dignationis Divinæ, quòd à te & primò votiva hæc munera acceptârit, & iterum dignanter acceptet. Nonò. Recognitio felicitatis tuæ, quòd te per vota iterum recipiat in suam hæreditatem ac possessionem, & inscribat inter gentem Sanctam, populum acquisitionis.

quisitionis. Decimò. Gaudium & exultatio de hac tua felicitate, eò quòd sis in Societate; unde dicas ex S. Paulo: Fidelis DEUS, per quem vocati sumus in Societatē Filii ejus Jesu Christi. Undecimò. Gaude & de gustu Divino, si quem in tuis Votis habuit habetq;,eumq; innovare aut augere satage; imò in tuo actu omnes ferventiores similes actus aliorum inclusos velis, ut gustus major Divino cordi cieatur. Duodecimò. Admiratio exultabunda & gratitudinis debitæ plena, beneficentiæ, misericordiæ, electionis & ab æterno destinationis tuî ad statum tam felicem & securum; parumque est, si dicas cum Paulo, segregavit me ex utero Matris servum sibi; sed ab æterno sic memor fuit tuî, ac in te beneficus. Decimotertiò. Exultatio de illa prima præventione in benedictionibus dulcedinis, quâ tibi primò inspiravit & persvasit svaviter tam dulce DEI servitium, statumque tot meritorum de DEO de toto mundo & cœlo capacem; Adeoq; quòd & sors tua ciciderit in præclaris, & annumeratus sis cum viris Apostolicis. Decimoquartò. Prælatio tui statûs omnibus Regnis & felicitatibus mundi. Elegi abjectus esse in domo DEI mei: Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contemno propter amorem Domini mei JEsu CHristi: Dilexi Societatem super aurum & topazion; præposui illam (Sap.6.) regnis & sedibus & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum

lutum æstimabitur argentum inconspectu illius: super speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam; quoniam inextingvibile est lumen illius,&c. quæ ibi Sacer textus addit, & huc accommodari svaviter possunt. Decimoquintò. Fiat etiã hoc actu, Compensatio minoris æstimationis tuæ felicitatis, simulque compensatio gratitudinis vel intermissæ, vel non sæpe exhibitæ,vel remissæ: item compensatio fervoris in primò, vel sæpius deinde votis hisce instauratis; imo & compensatio similis quorundam in eadem re remissionis. Decimosextò. Fiat eadem votorum renovatio affectu adorantis & amantis DEUM super omnia, affectu summè DEUM glorificare desideranti, Christo, assimilari pauperi & obedienti cupientis, affectu se ad omnia Fini Societatis congrua offerentis, affectu omnium ardentium DEI Servorum & Cœlitum, affectu quo velit, & gaudeat DEUs. Decimoseptimò. Ita te offer, devove, ac desponde DEO, ut mille & infinitas etiam vitas & corda eidem devovere velles, affectu & ardore, quo quisquam, unquam ei devovisset. Decimooctavò. Ita cogita præsentem Curiam cœlestem universam, coram qua voves, ut cogites totidem Judices, & testes, te habituros, si fidem promissi, quod absit, fallas; item sic, ut invoces eorum auxilium & suffragium, ut quæ coram illis promittis, Omnipotenti DEO, impleas: item sic, ut eorum accidentale gaudium adaugeas fervore vovendi, & devotione dignissimâ hoc actu, & cœlitum desideriis. Decimononò. Aspira ad modum vovendi

&

& renovandi vota, si fieri posset, adæquatum gustui Divino, & summum quo actus hic renovationis dignè Deo, dignè spectaculo cœlesti (nam etiam te hic spectaculū dare cœlo & Angelis, cogitare debes, videreq; ut hanc scenam ad plausum cœli peragas) dignè ex spectatione Societatis tam triūphantis, quàm militantis exerceri possit; in unione affectuum utriusq; hujus Societatis, & omniū Cœlitum, & actuum Marianorum ac Theandricorum Christi, omni possibiliter, omnidesiderabiliter, omnibeneplacitè DEO. Vigesimò. Tuæ renovationi alios aliorum sanctissimos quosvis actus sanctiores include; & pro omnibus hominibus in recognitionem dominii Divini, & compensationem tot obsequiorum & servitii perfectioris ab illis DEO denegatorum, eandem substitue; imò & pro omnibus aliorum sanctissimis actibus, ut actus hic tuus non sit tantùm actus renovationis votorum, sed omnis etiam virtus aliorum, sacerrimusque actus. Vigesimoprimò. Quia verò mox communicabis; ideo te per Vota repetita DEO specialiter dones eo motivo, quòd se tibi jam jam velit donare & tradere in pignus salutis & gratiæ Christus in SS. Eucharistia; ceu diceres: Do tibi me DEUS, quia tu mihi das & mox dabis te ipsum: do autem in unione tui amoris, quo te mihi donas. Amat Charitas, amat Immensitas, & vicem rependere pigeat cum mensura? Vigesimosecundò. Per tertium modum orandi Formulam votorum pronuntia eo affectu, quo quisquam unquam DEO gratissimè, & quo cor Divinum gaudeat

deat ac velit, quo poſſit Creatura par ſummo Seraphino, vel æmulator CHriſti affectûs, MARIANI aut Theandrici.

II.

Imaginationes Sacræ Renovantis Vota Religioſa; vel primò eadem voventis.

AD ciendam hìc devotionem, juvabunt quædam Imaginationes. Primò, Imaginari poſſet, ſe poſitum inter CompetitoresCordis ſui. Hinc mundus cum opibus & theſauris & pompis ſæculi illud ſollicitat, & ad ſe pertrahere conatur: hinc blandior voluptas accincta dolis & molli deliciarum choro pertentat; illinc Libertas, & Regnum voluntatis nulli ſubditum; ſed ſvavius inde CHriſtus accinctus cœlitum choro idem Cor poſtulat; & quia prævalet vi tractivâ & promiſſorum magnitudine DEUS; illi potius Cor ſe offert ac dedicat. Trahit ſua quemque voluptas; me DEUS. Secundò. Poſſet aliter vota renovans imaginari; nempe ſe inter hoſtes deprehenſum & pericula, hinc mundi præcipitis; illinc inter abrupta pudoris; illinc inter præcipitia propriæ voluntatis; vel certè quaſi inter hoſtiles copias votis oppoſitas, vel inter ſalutis diſcrimina mundo innexa; Inter hæc pericula manum porrigit Chriſtus Liberator, ubi & Turris fortiſſima nomen Domini, & ſcutum ejuſdem inexpugnabile

gnabile te protegens; illum ergo anima respicit, & ad illum velut asylum refugit, & votis se contra dicta pericula ac hostes cum CHristi suppetiis tuetur. Tertiò Imaginari licet aliter eadem pericula, adeòque te in mari procelloso videre portum securissimum, ubi CHristus cum Sociorum corona; ad quam te accedere procellis exemptum gaude. Quartò. Aliter idem imaginari licet juxta Davidis imaginationem; Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus; adjutorium nostrum in Nomine Domini JESU & Societate ejus. Quintò Imaginari licet te velut columbam Noë ad Arcam à diluvio tutam advolare, eò quòd non sit, ubi requiescat pes tuus extra Arcam; gaude te ad illam admitti. Periit diluvio, qui extra Arcam fuit. Sextò. Imaginare Religionem veluti Hortum floribus varii generis amœnum, cui illud Romæ inscriptum sit; Expectat apes; nempe hìc sat pabuli & florilegii dulcis habebunt. Tu inter illas esto & quidem similis illi, ut S. Cæcilia describitur: Quasi apis argumentosa (seu laboriosa) tibi Christe deservit, deserviet: ubi ad labores te offer. Septimò. Imaginare Christum Libro vitæ inscribentem suî sequaces, juxta illud, qui sequitur me, habebit lumen vitæ; Et illud: Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, centuplum accipietis & vitam æternam possidebitis. Accurre & tu & inscribi in Librum vitæ desiderans, te in Christi Pauperis sequelam devove. Octavò. Imaginare ut Sanctus noster Ignatius imaginatus, duplicia Castra, hinc Du-

eis Christi ejusque vexillum; inde Luciferi cum asseclis mundi, ejusque vexilla tum voluptuariorum, tum alia votis opposita: Horror sit, si quis sit sub vexillo Diaboli, & non potius Christi summi Imperatoris: ibi stipendium mors secunda; hic vita æterna. Huic ergo Christi militiæ te adjunge. Nonò. Habent Principes intimos suos Amicos, & domesticos familiares. Tales inter, te vult Princeps Principum adlegere per vota. Eja accurre, & inter intimos hosce te admitti per vota postula. Decimò. Vult aliquos in familiam & decus sui Nominis idem cælestis Princeps admittere, iisdem insignibus & stemmate, iisdem Comitibus, & ornamentis uti; iisdem, ut se victoriis florere: non recusares eam fortem apud terrenum mortalem Principem, cujus gratia fallax, & ad modicum & vix momentum utilis; & recusabis fortem eandem apud Æternum ter optimum, ter maximum, ter dulcem & amabilissimum tuî Principem? Undecimò. Imaginare Regem Regum in stellato cœli solio. Audi & vocem: Cui tributum, tributum, adesto & tu, & redde illi vota tua tributi ad instar, & homagium tanto Principi. Duodecimò. Imaginare velle Principem eundem cœli & terræ velle tecum permutationem facere quâ velit tibi dare cœlum pro terra; Regnum æternum pro momentaneo; delicias perennes pro fluxis; thesauros incomparabiles pro teruncio plumbeo; deníque sese tibi dare velit pro Teipso. Non desipis, nisi tam felicem permutationem facias, votorum interventu. Decimotertiò.

Cœli

Cœli expugnatores tot ſtrenuos imaginare, quot ſunt,& fuerunt violenti cœlo,& ſic cœlum rapiunt, & quaſi ad deditionem cogunt. Eja inſere te tam felicibus violentis per vota Religioſa, certè fit Religioſus perpetua ſui violentia, ut eum quidam deſcribit. Decimoquartô, Imaginare adhuc Agnum cœleſtem inter lilia, cui novam liliorum areolam, ad delicias cordis ejus, apud te offer per votum Angelicæ puritatis. Eundem imaginare pro te immolatum & veluti ſvaviſſimè balantem: Vado immolari pro vobis; dic & tu; Venimus & nos tecum, nosque in hoc ſacrificio amoris, in holocauſtum tibi æternum immolamus. Decimoquintô. Cogita & tibi dici à B. Virgine, quod P. Nunnio: Visne ſervire Filio meo usque ad defatigationem? annuenti ſvaſit Societatem inire. Fac & tu eodem motivo ſimiliter.

III.

Addamus aurum auro; ſeu nova vota votis.

I.

AD id nobis exemplo ſuo præeunt noſtri Patres. P. Didacus de Saura vovit ſe procuraturum majorem perfectionem. Item nunquam ſe ſuam voluntatem facturum, ſed quoad poſſet perfectiſſimè impleturum Divinam: item quidquid in quovis opere majoris perfectionis, magisque eximium agnoſceret,

ſceret, ſe facturum: item vovit non habere affe-ctum ad ullam rem creatam, & procuraturum, ut haberet continuum actum amoris Divini. Hæc illius vota fuêre. P. Ludovicus de Ponte vovit non peccare venialiter deliberatè; & votum implevit ſic continuis viginti añis ante mortem inculpatè vivendo. P. Nicolaus Lancicius aliique tot ſe votis obſtrinxerunt. P. Gaſpar Druzbicki vovit, quæ in menologio Societatis videre licet, & pariter vovere. Mitto aliorum vota, ad quæ illos ſtimulavit major perfectio, & voluntatis in bono ſtabilitas, nec non voti præſtantia, cultusque DEI per illud ſingularis. Quidni exempla ſequaris?

2. Si tamen quid voveas ſupererogatoriè; materia voti non repugnet Regulæ, vel communitati, vel imperiis Superiorum, eorumque regimini. Eadem vota eodem modo imple, ac impleturum te pollicere, quoad Obedientiæ præſcripta ſinent. Eadem verò vota tum quotidie, tum ſolenniùs in Renovatione votorum Societati ſolenni, renova internè & Religioſis votis ſtatim adjunge.

3. Inter alia quæ vovere (ac ſæpe idem renovare) non operosè & tamen lucrosè coram DEO posſis poſſunt eſſe hæc. Primò, Duplex votum, per quod diteſcas ex alienis meritis, nempe tum omnia opera tua unita Chriſti & Cœlitum operibus quotidie ex voto offerendo in gratiarum actionem pro gratiis & auxiliis datis, dandisque unquam, cuicunq; ad ullum bonum opus; nec non pro quovis cujusvis bono opere exhibito ab initio mundi & exhi-

bendo ad diem Judicii, ut glorificante DEUM; non
sine complacentia in hoc voto Eucharistico imbibi-
ta de omni illo bono opere, & gaudio de illo ac ra-
tihabitione illius: Tum omnia opera similiter unita
offerendo ex voto ad impetrationem auxiliorum ad
quævis bona opera à quocunq; unquam & usquam
elicienda ad diem judicii; ut ratione impetratorum
talium auxiliorum etiam tibi imputentur, non tan-
tùm, cum fient, sed nunc etiam in eorum voto & de-
siderio, quorum & velis esse Causa aliqua meritoria,
& ratione voti impetratoria, idque studio glorifican-
di DEUM quàm maximè non tantùm per tua mini-
ma, sed etiam per aliorum omnium eximia opera.
Secundò. Vovere poteris omnem satisfactionem tu-
is operibus annexam, vel tibi ab aliis etiam post obi-
tum applicandam, cedendo eam Animabus Purga-
torii; id quod non pauci vovent. Tertiò. Vovere
poteris omnia & semper (cum prædictis exceptioni-
bus numero proximo præmissis id intelligendo) tum
exercitia pietatis, tum mortificationis ordinariæ &
extraordinariæ pro libitu assumendæ & vovendæ,
tum contingentia molesta ad intentiones complu-
res quas innuo; v. g Vovere dicta omnia quotidie
in unione cum CHRISTI & cælitum meritis pro
conversione peccatorum & infidelium, ac pro iis qui
in convertendis laborant: vovere eadem pro recidi-
vis in peccata gravia, habituatis in iisdem, tentatis
graviter, positis in proxima occasione peccandi; &
pro iis qui possunt eos impedire aut salubriter juva-
re: Item vovere eadem pro moribundis agonizan-

tibus: pro periclitantibus infantibus, ne ſine baptiſmo decedant; adultis verò, ut ſaltem baptiſmo Flaminis adjuventur; item pro captivis inter Turcas aliosque, ne deficiant, vel ſi defecerunt ad Eccleſiam redeant: Item vovere eadem pro impetranda tibi felici morte, ut in & ex amoris Divini vehementia moriare Martyr amoris, ſi non fidei: Item ut ſemper in ſtatu gratiæ ut in fide, gratia & vocatione Religioſa perſeveres; item ad impetrandam ſi Domino dignabitur, Confirmationem in gratiâ tum tuî tum plurium aliorum, nec non cœlum ſine purgatorio. Item vovere eadem pro tua Religione & Zelatoribus gloriæ Divinæ ac animarum: pro juſtis eorumque augmento & perſeverantia: item pro afflictis quibuscunque. Deniq; ſanctisſimè vovebis eadem tum in gratiarum actionem pro celebratione Miſſæ hodierna vel communione tua & aliorum; Tum in præparationem dignam ad ſequentis diei Sacrificium vel Communionem tibi aliisque impetrandam, idque ex amore & cultu ſingulari SS. Euchariſtiæ. Quartò vovent aliqui etiam B. Virginis Caſtitatem, vel potius in honorem & imitationem illius puritatis, & ſtudio impetrandi auxilii: quidni premas aliorum exempla? vovent item defenſionem Immaculatæ ejus Conceptionis; Vovent item plurima vel dicto modo omnia, pro illius cultu augendo, pro cultoribus MARIANIS vivis & defunctis, eorumque augmento. Quintò licet, ſi libet etiam ſingula vovere, ſeu ſingula opera facere ex voto v. g. celebraturus jam jam poſſes dicere: Voveo id ſacrum omni-

N 2 potenti

potenti DEO. Jejunii dies advenit? Voveo hujus diei jejunium. Disciplinam facis? Voveo eandem: Adoras Venerabile Sacramentum, vel effigiem B. Virginis? Facio id ex voto, & sic de cæteris operibus tum arbitrariis, tum præceptis. Nempe notum est crescere meritum operi, dum fit ex voto, magis quàm si sine illo fieret; adeoque si opus per se est excellens, cum voto excellentius. Neque scrupulo erit locus, si scias, quòd ut promisso simplici annexæ sunt aliquæ conditiones v.g. si potero, si non impediar rationabiliter, vel ab obedientia, &c. Sic & in voto cogites: deinde si voveas, quæ jamjam agere deberes etiam sine voto.

Licet alia privata adjungere vota, quæ quis spontè delegerit.

IV.

Sacrificium Nihili additum Sacrificio sui ipsius per Vota & Renovationem eorundem.

1.

Nihilum est Gaza ipsius DEI, ex qua eduxit tot thesauros, nempe cœlum & terram, Animas Rationales, & Angelos. Idem Nihilum etiam nostra Gaza est, non tantùm quatenus nos humiliat, & per humilitatem in animo locupletat; sed etiam in quantum novi nobis Sacrificii materia & quædam Hostia esse potest.

2. Posse

2. Posse aliquod nihilum sacrificari ostendo. Nam inprimis Sanctus Fundator nostræ Societatis dum instinctu Divino in eadem Societate statuit, ut nulli essent reditus & bona immobilia Domûs Professæ, id, Nihil appellavit, obtulitque Æterno Patri Nihilum Proventuum, Redituum Domûs cujusvis Professæ, & Templi ejusdem Domûs. En Sacrificium Nihili! Item in Canticis dicitur: Si dederit homo omnem substantiam pro anima sua; quasi Nihil despiciet eam. Et Poëta de licitatione Divini amoris canens: Da Nihil, inquit, emes. Si dari potest nihilum pro anima; si illud Amor Divinus exigit; quidni illud sacrifices? Imò tantò gratius Sacrificium, quantò magis in spiritu humilitatis peragitur; Satis autem humilis sensus est Sacrificantis, de sua oblatione, si illam veluti Nihil respectu tantæ Majestatis reputet: Bonorum meorum non eges.

3. Ergo ad Sacrificium Nihili accede. Præmisso actu æstimationis & appretiationis Divinæ, nec non comparatione vilitatis nostræ respectu etiam complurium Creaturarum, multò magis respectu DEI: Item præmisso ardenti desiderio colendi sacrificè DEUM profundissimâ reverentiâ & amore ardentissimo; in unione omnium Sacrificiorum DEO gratissimorum, statue & tu sacrificare, & si nõ tam exquisito, ut illi Sacrificio; certè quanto in tua tenuitate adjuta cœlitus potes. Aram ergo instrue in holocaustum; eamque adorna.

4. Porro in hoc Nihili Sacrificio tum Sacerdos ipse, tum oblatio est Nihil. Tu ergo esto Sacerdos, & te

inprimis ſacrifica; quia & tu Nihil es, quod hîc ſacrificandum. Nam de te id Scriptura teſtatur per Davidem: Subſtantia mea tanquam nihilum ante te. Item per Paulum: Qui ſe aliquid putat eſſe, cum Nihil ſit; ipſe ſe ſeducit. Et iterum Pſaltes ait: Univerſa vanitas omnis homo vivens. Id ipſum ratio probat; quia purè ex te ipſo nihil es, nil potes, nil operaris, niſi peccatum, quod eſt nihilo deterius: item quia ex nihilo conditus es quoad animam; principium ergo tuum nihil eſt, & redigi potes in nihilum, ex quo prodiiſti: Deniquè ipsâ tuâ voluntate ſeu ultro te coram DEO annihilare, annullare debes, non tantùm comparatione Divinæ infinitatis, & tuæ finitudinis, ſed etiam reſpectu excellentiæ, ob quam eo, quo dignus eſt cultu, nihil illi par dare potes. Ergo Nihil es, ô Sacerdos Nihili; parumq; eſt, ut accedens ad hoc altare, in quo ſacrificabis, dicas: Loquar ad Dominum, cùm ſim pulvis & cinis; cum ſis potius Nihil, vilius pulvere & cinere. Quare quod primò debes ſacrificare in Sacrificio Nihili, es tu ipſe, qui dum te DEO immolas, cum tota tua ſubſtantia, viribus, bonis corpore & anima, libertate; etſi ardentiſſimo id affectu & ſeraphico æſtu facias, nihil illi offers, quia Nihil es, ut tu, ſic tua omnia. Unde nec tanti jam æſtima, quod te illi conſecrâris! dediſti illi grande Nihil: ſcilicet multùm illi dediſti, multùm ditâſti gazam Divinam tuo Nihilo! Per vota etiam tua nihil DEO ſacrificas: quia per illa promittis, quòd deinceps nihil libertatis tibi velis retinere, ubi parendum eſt; nihil proprie-

tatis & usûs rerum pro tuo arbitrio & independenter aut irrevocabiliter à Superiore; nihil tibi non illicitum velis contra puritatem corporis Angelicam, adeoque nihil te velle esse hîc deinceps hominis; ubi vides quòd in tribus etiam votis nihil sacrificas DEO, quo te exuis.

5. Jam Hostiam hujus Sacrificii Nihili seu materiam Sacrificii tibi exhibeo duplicem; nimirum Positivam & Negativam. Positiva Materia Sacrificii hujus, sunt terrenæ res omnes, quæ omnia coram DEO ut Isaias cap. 40. loquitur, quasi non sint, & tanquam nihilum & inane reputatæ sunt ei. Quare honores, voluptates, terrenæ oblectationes, plausus, favores, æstimatio & magni nominis existimatio, laus humana & gloria mundi: his adde vana solatiola, risus, jocos, commoditates corporis, & omne defectibile bonum, rapiens cor humanum: ad eandem nihili descriptionem ex Isaia adductam pertinent, fluxa omnia & merum nihil, in nihil desitura. Si enim homo ipse, ut paulò antè expensum est, est quasi merum nihil, multò magis illo inferiora, Nihil erunt. Unde etiam Lipsius dicebat: Omnia humana sunt somnia, umbra Nihil. Hoc ergo Nihil, imò tot Nihila in unum rogum congere, quem in ara holocaustifica exstrues: ex motivis toties indicatis & supernaturalibus, hæc omnia concrema DEO in holocaustum; sic & Sacrificium hoc Nihili cedet in odorem svavitatis Domino; & tu magna voluptate perfundi incipies, illis tam generosè in rogum hunc holocausti conjectis, quæ tantoperè cor sol-

licitum & inquietum reddunt, donec generosè contemnantur. Hujus defectu Sacrificii omnes turbationes, inquietudines, imperfectiones: quædam mentis cæcitas ad æterna, ad solida bona, ad cœlestes gratias uberiùs hauriendas. Ita Nihilum amatur, cum tot animæ incommodis.

Negativa Sacrificii Nihili materia seu Hostiæ, sunt quædam carentiæ DEO immolandæ. Carentiæ enim sunt quoddam Nihil, intelligo carentiam commoditatum. carentiam exceptionum, carentiam etiam necessariorum, carentiam communium & particularium solatiorum, carentiam amicorum, & fautorum ac promotorum, carentiam talentorum magis plausibilium, carentiam successûs in quibusdam, carentiam æstimationis, plausûs & gloriæ humanæ, ob quam dicitur à Scriptore illo aureo: Erunt alii magni in ore hominum; de te autem tacebitur &c. Hoc ergo nihilum in aram eandem holocausti conjice, nam & DEO mirè tale holocaustum cũ priore, Heröibus sacris proprium placet; & illius defectu melancholiæ, & inquietæ sollicitudini locus datur. Hoc ergo Nihilum duplex positivum, & negativum DEO generosè tandem sacrifica, hoc aliis Sacrificiis adjunge: talibus enim Hostiis promeretur DEUS, & quies animi summa paratur. Sapit, qui sic sacrificat. Sed tamen non satis sit hodie id Sacrificii genus fecisse; sit hoc juge Sacrificium; quia ejusdem jugis seu perpetua est necessitas: tantò gratius DEO, utilius tibi; quantò frequentius; & plùs valet, quàm pleraque mystica Sacrificia, nempe

nempe in hoc Sacrificio Nihili, heroica plurima, & sublimior virtutis terrena generosè proterentis species effulget.

V.
Renovatio pactorum quorundam cum DEO & Cœlo.

I.

USitatum id terris, ut pacta & ami itias cum regnis renovent. Sic præter alios, in libris Machabæorum memorantur Judæi renovâsse amicitiam cum Romanis & Spartiatis: tanti putabant esse fœdus cum potenti utraque natione! At nil potentius DEO, nil amicitiâ illius insignius, optabilius, opportunius. Pepigisti cum eo amicitiam toties; pacta cum eodem inita renova; ita te amat, & se demittit hæc ad te majestas!

2. In votis quidem pactum quoddam & contractus cum DEO intervenit; sed præter hæc sunt alia plerisque pacta cum DEO, pacta cum cœlo. Non repeto illa, quæ in Face Ascetica sub his duobus titulis, Pacta cum DEO, Pacta cum cœlo, dicta: illis enim, credo, alia quisque superaddit; & ea renovandi hìc locus erit.

3. Nova ergò addi poterunt, & postea renovari pacta; ut illa, quæ innuuntur suprà sub titulo: Addamus aurum auro: Item Desponsatio voluntatis tuæ DEO e usque voluntati: Dedicatio & sigillatio cordis & affectuum, DEO cordis tui: Item pactum, quòd

quòd velis deinceps agere omnia sublimatiùs: quòd in his consistet, præter alios modos & industrias Sanctorum. Primò. Pactum, quòd velis agere omnia, & pati ex amore & latria erga DEUM, & hyperdulia MARIANA. Secundò. Pactum ini, quòd velis agere & pati omnia in persona & suppositis omnium creaturarum, usque ad earum quasdam atomos & momenta: hoc est, tum inducere creaturarum rationalium actus sanctissimos tuis actibus & momentis, his illos inclusos volendo cum omni intentione, intensione, multiplicatione & extensione: tum eosdem actus illarum, & jam tuos, pro creaturis rationalibus tale nil curantibus, per tuos actus exercendo, nomine etiam illarum, usque ad earum atomos & momenta: Tum eosdem actus suppositis rationalibus communicando & volendo, ut quilibet actus tuus bonus, & aliarum rationalium creaturarum, sit actus etiam illorum suppositorum. Non sine causa enim dicitur: Benedicite omnia opera Domini Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Item Tertiò. Pactum, quòd velis agere & pati omnia, substituendo quemvis actum etiam indifferentem loco omnium sanctissimorum actuum à quocunque elicitorum, vel eliciendorum; ita ut ob gustum DEI & glorificationem quàm maximam, velis hunc actum etiam scribendi legendique, omnem illum actum, cujusvis sanctissimum esse, cum in hoc tuo approbando, ad illum anhelando, de eo velut glorificante DEum, exultando. Item Quartò. Pactum,

quòd

quòd velis agere & pati omnia, compenſare & ſupplere volendo per quemvis actum tuum pro te, & omnibus, quidquid vel in bonis actibus eorum defuit, vel quidquid bonorum actuum omiſſum vel malorum commiſſum. Et hæc voluntas per actum quemvis bonum compenſandi prædicta bona omiſſa, vel neglecta, extendat ſe ad infantiam tot am omnium, in qua nihil boni moralis agunt, & tu nihil tunc egiſti; tum ad ſomni tempora, vel cujuſvis relaxationis animi indifferentis, ubi rarò aliquid fit ex virtute, & cum merito, ac guſtu DEI ſaltem poſitivo ſpeciali, qualem habet ex actibus ſupernaturalibus; tum ad alias actiones indifferentes, non oblatas DEO, non directas in DEUM & finem ſupernaturalem, vel ex motivo merè naturali peractus. *Quintò.* Pactum ineas cum DEO, quòd velis quemlibet actum & motum, & momentum eſſe actus hos, nimirum actum amoris Divini excludentis omne peccatum, etiam veniale: & actum deteſtationis peccati omnis, etiam venialis, ex eodem motivo amoris Divini ſimiliter oppoſiti omni peccato: & actum profundiſſimæ humilitatis excludentis omnem etiam ſuperbiolam & umbram vanitatis: deniqúe tum actum omnem proportionatum peccatori valdè contrito, & ad DEUM amoroſiſſimè converſo; tum actũ omnem ſanctiſſimis & Seraphicis animabus, ac innocenti Sanctitati illuminatiſſimæ congruum: tum actum omnem DEO glorioſiſſimum & beneplacitiſſimum: tum actum poſtulativum pro ceſſatione offenſa

rum Divinarum in te & quàm plurimis, si non in omnibus; tum actum Communionis Spiritualis dignissimæ & amorosissimæ ac per modum viatici.

Sextò. Pactum ineas de studio continuo puritatis à minimo peccato & imperfectione non attingente rationem peccati, ut contra regulas aliquas, in quibus non esset ratio peccati; in passionum motu antecedente rationem plenam. Item de continuo studio puritatis, intentionis in omnibus; de studio ordinariarum actionum exactè, juxta lumen internum, & modos præfixos peragendarum: de præmeditatè singula agendo, & reflexione adhibenda post singulas actiones, saltem majores: de continuo augmento meriti & perfectionis operum in dies & horas, & quoad singulas actiones, eas magis perficere, exque majori amore, & aliis motivis intensiùs agere volendo, & manè illis proportionem crescendi designando; ex quo etiam fiet, ut propriæ Religioso statui tendenti ad perfectionem, & ad idipsum regulis urgentibus satisfiat.

Hæc & similia pacta inire licebit, vel si jam iniîsti, hìc cum votis renovare solenniùs coram DEO. In fine adde illud: Suscipe Domine universam libertatem meam: accipe memoriam, intellectum, & voluntatem &c. ut habetur in libello exercitiorum.

IV.

Renovatio Devotionis erga DEIPARAM.

I.

PLùs omninò quàm Regium est, mancipiis DEIPARÆ Virginis annumerari. Qui se illi semel devovit, devoveat semper: non pigeat facti, quòd prædestinationis signum esse plerique volunt. Quantò ferventior & perseverantior est ejus cultus, tantò signum id certius. Quare dum renovas promissa DEO, renova & promissa Divinæ Parenti. Pulchrum est quòd illi te addixeris, cùm olim diceres: Suscipe me in servum perpetuum: Eligo te in Dominam, Patronam & Advocatam meam; sancta hæc & salubria, illique pergrata quidni renoves? Renovas gustum illius, dum hæc pari, vel ut par est, majori affectu repetis. Dum ergò renovationis votorum signum datur; puta illud tibi occlamari: Exite obviam Sponso & Sponsæ, Domino & Dominæ: Vel acsi illa diceret: Qui Domini est, jungatur mihi.

2. Aliqui sese B. Virginis ceu Sponsos, ut post S. Josephum, Hermannus Contractus: alii velut Filios, alii ceu servos vel mancipia recognoscunt. Quicunque titulus placet, licet illum assumere, & fidem nominis sanctissimè implere. Tu ut servum te illi devovisti, etiam Christi exemplo, qui erat subditus illi: ita servitium hoc etiam Angelis com-

mune. (Nam eadem est Domina Angelorum) renova.

3. Ut verò id solenniùs præstes; Præter antecedentis tridui opera pia, & mortificationes etiam huc directas; his actibus & affectibus te ad id præpara. Primò: Motiva specialiùs eam colendi tum passim obvia, tum aliqua singularia tibi in mentē revoca: inter quæ est dignitas & excellentia DEI Matris: Ejus dominium in omnes post Christum: ejus merita de toto mundo: ejus beneficentia in omnes, ac in te singularis: ejus vis ac gratia, quâ multum pollet apud DEUM: Ejus in Societatem singularis propensio, & explicatum ad protectionem Reginale illius pallium seu paludamentum: denique ut alia omittam, nota prædestinationis, fervens illius & constans cultus. Secundò. Ideam & exempla tibi aliorum ejus cultorum, tum aliunde, tum ex Societate nostra propone, & exemplis ad similia accendere. Tertiò. Confusio, tui in ejus servitio teporis succedat. Quartò. Deprecatio pro eodem torpore. Quintò. Semestris præteriti beneficia ab illa in te profusa, per quam nos totum voluit habere DEUS, recole gratus, & iterum tuam ingratitudinem detestare. Sextò. Gaudium & exultatio de ejus excellentia, cultoribus, gratiis, privilegiis, & cœlo. Septimò. Desiderium eam colendi semper quàm maximè. Octavò. Ratificatio alienorum obsequiorum ei præstitorum, & affectuum in eam sanctissimè exardescentium. Nonò. Compensatio neglecti ejus majoris cultûs à te & ab aliis, & in-

compen-

compensationem, & ad alias sanctissimas intentiones, in unione oblationis, dedicationis sui à quoquam eidem factæ, iterata ferventior tui succedat illi dedicatio.

4. Tum deinde formula Sodalitii MARIANI devotè proferatur per tertium modum orandi, coram Christo & universa cœlesti curia, proportionatis modis juxta dicta suprà de affectibus renovantis vota.

5. Vota aliqua superiùs recensa aliaque, si quis in ejus honorem vovit, renovanda.

6. Approbanda alia devotionis exercitia à te usurpari erga eam solita.

7. Addenda aliqua nova ex ingenio amoris, & devotionis erga tantam & tam beneficam Matrem & Dominam.

8. Postulationibus ad illam vacandum pro te, pro aliis, pro votis, & aliis præmissis tum ejus Filio, tum ipsimet, factis, re ipsâ implendis: postulandum pro Societate, pro cultoribus MARIANIS, eorumq; augmento. Deniq;

9. Postulatio benedictionis pro sequenti semestri, toti Societati.

§. III.

Consequentia Renovationem Votorum.

I.

Multiplici affectui & immediatè post votorum reno-

renovationem vacandum & toto die: imò & per octavam hujus tui festi privati. Etsi autem erit tempus affectuum congruorum sacræ synaxi; tamen utrique affectus misceantur, nempe etiam congrui renovationi votorum.

2. Præter alios affectus hi esse poterunt, qui sequuntur; quibus addam sententias ex Sacra Scriptura etiam per diem ore vel corde revolvendas.

I.

Occupatio interna per pios affectus post Renovationem Votorum, vel primam eorum instaurationem.

I.

ADoratio, exaltatio, svaviatio, admiratio, benedictio & magnificatio Divinæ dignationis, & bonitatis, quòd & te receperit DEUS tuus, & tu illum in SS. Eucharistia. Recepisti plus quàm duplicia, pro te ipso illi dedicato. Dixeris: Jam sat à te optime, maxime DEUS recepi; jam præmio alio non est opus; sufficis mihi; sufficit, quòd mihi te ipsum dedisti, summum & omne bonum, nimis avarus sim, si mihi DEUS non sufficiat. Quare corde MARIANO magnificat anima mea Dominum; quia respexit humilitatem mancipii sui; Quia fecit mihi magna qui potens est &c.

2. Svaviabis iterum dignationem Divinam in vocatione

catione ad Societatem, tibi præstitam, in qua elegit te Dominus servum sibi ad sacrificandum ei hostiam laudis, nempe teipsum, svavia & dulcora tibi felicitatem tuam, quòd sis admissus sub pallium MARIANUM.

3. Gratitudo multiplex subsequatur, DEO, B. Virgini, S. Ignatio, Sanctis Patronis Societatis pro multiplici beneficio in vita, in Societate acta, tibi præstito & præstando. Ad DEUM quidem repeti potest illud: Quid retribuam Domino? vota mea Domino reddam; meipsum illi iterum & millies offeram in servum perpetuum, in Societate JESU &c.

4. Ut tantò major gratitudo, & Divinæ bonitatis amor, & exaltatio in te succrescat; Cogita per varias sacras comparationes, quanta fecit animæ tuæ DEUS? Cogita tibi illud præstitum; quòd te collocavit Dominus cum Principibus populi sui: Quòd te in familiam nominis sui receperit; Vocavi te nomine meo: Et est nomen meum in illo, dicit Dominus. Cogita & tibi illud dici cum aliis: Jam estis Cives Sanctorum, & domestici DEI. Cogita & tuam similem pænè sortem, ac Divi Matthiæ, pro quo DEUM exaltat Ecclesia: DEUS, qui B. Matthiam Apostolorum Collegio sociâsti; te certè virorum Apostolicorum consortio sociavit, & similes alias pias cogitationes svaviter assume; vel suprà allatas imaginationes.

5. Renovatio votorum majore affectu repetatur; nec non formula Sodalitatis MARIANÆ; idq; sæpiùs per diem, cum iis affectibus, qui positi sunt su-

prà,

prà, sub affectibus renovantis vota; maximè illo affectu, quòd me non pœniteat facti; gaudeo de voto; approbo factum; placet quòd DEI amore & in maximam ejus gloriam promisi: mille vitas & corda illi consecro. Notum est de P. Jacobo Cerutto, quòd ille ter mille vicibus vota per diem renovaret. Huic actui & aliis congruis sæpè vacare per diem congruit; imò & per octavam privatam.

6. Cogita te novum jam Pauperem effectum pro Christo: ergò apud cœlites, cœlitum Reginam & DEUM cœli mendica cœlestes gratias & tibi, & toti Societati.

7. Postula in subsequens semestre spatium tibi aliisque benedictionem; protectionem; auxilia & gratias implendi promissa, & servandi exactè instituti &c. Obtestare per quæ maximè poteris, DEUM & B. V. M. Sanctosque alios, ut ea impetrent toti Societati, quæ Divinæ gloriæ & animarum saluti, nec non propriæ cujuslibet perfectioni summæ conveniant.

8. Patroni sequentis semestris ex cœlitibus eligantur. Intentio universalis pro eodem semestri spatio præfigatur: virtutum certarum exercitium: vitiorum quorumdam abolitio: quarundam mortificationum & devotionum augmentum proponatur.

9. Cogitatio frequens obligationis rursus per vota & ingressum Societatis inductæ renovetur, cum invocatione auxilii, cum resignatissima obligatione tui ad omnia.

10. Co-

10. Cogita te jam non esse tuum, sed rem, hæreditatem atque possessionem DEI, nec te uti pro libitu teipso posse, nec velle, ceu re jam alienâ. Suboriri poterit inde alius duplex affectus. Primus ille exultans, & coram cœlo toto gloriabundus: O Domine, ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ, Matris tuæ, & Societatis tuæ, quæ tua etiam Ancilla est. Vel ille: Tuus sum ego, salvum me fac. Secundus gaudii, ceu audires illud à CHRISTO dici: Pater, quos dedisti mihi non perdidi ex illis quemquam: nemo potest de manu mea eripere oves meas.

11. Recogita & illud cum tui confusione, quòd toties vota renovâris, nec sat promissa impleveris; quare deprecatione adhibita; diffidentiæ de te fiduciam in DEI auxilio adjungens, propone fidelitatem obsequii & promissorum.

12. Subjunge oblationem alienorum affectuum in supplementum tuæ inopiæ, & frigidæ affectionis sub hac renovatione.

13. Per diem hunc specialiter à te exige in omnibus actionibus, normam perfectionis à Societatis hominibus perfectis observatam exprimere; ita singulas agendo, ac illi soliti agere, vel agere nos addeceret: quæ exercitatio indies, aliàs prorogata, alium te efficiet hominem, si antea nonnihil tepuisti.

14. Devotio huic diei longior, crebriorque cum DEO congressus, & longior lectio spiritualis congruit: Cavendum item, ne dissolvatur spiritus relaxatione: dies certè hìc magis est recreationis Divinæ,

vinæ, quàm tuæ: Vel si etiam tuæ, magis Divinæ. Denique ad eosdem affectus adjunge sententias sacras.

II.

II. Sententiæ sacræ post Renovationem Votorum sanctis affectibus ciendis opportunæ.

QUanta fecit animæ meæ? O anima mea quantum debes Domino tuo?

Benedic anima mea Domino: & omnia: quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.

Qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.

Renovabitur ut Aquilæ juventus tua.

Circumivi & immolavi in Tabernaculo ejus hostiam vociferationis.

Memor sit Dominus Sacrificii nostri, & holocaustum nostrum pingve fiat. &c.

Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine DEUS.

Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter, quo ostendam illi salutare DEI.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.

Dominus possedit me, Dominus possessor vitæ meæ.

Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Elegi abjectus eſſe in domo DEI mei: melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia.

In omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor.

Dicere jam licet & animæ meæ: Et ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea: Et radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hæreditas illius & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata: Hic habitabo, quoniam elegi eam; Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.

Verè nõ eſt hìc aliud, niſi domus Dei & porta cœli.

Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me. Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus JESUS CHRISTUS, & tanquam Sponſam decoravit me corona.

Ipſi ſoli ſervo fidem; ipſi me totâ devotione committo.

Ipſi es deſponſata (anima mea) cui Angeli ſerviunt: cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur?

Quid eſt homo, Domine, quia reputas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?

Poſuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.

Servus tuus ſum ego: da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.

Ego ſervus tuus, & Filius Ancillæ tuæ.

Totus ſim tuus nullus meus. Ex orat. Ximeneſ.

Non permittas me ſeparari à te, nec me reprobes à pueris tuis.

Dixi Domino: DEUS meus es tu; bonorum meorum non eges.

Suscipe servum tuum in bonum.

Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, tu exaltans caput meum.

Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.

Sub umbra illius, quem desideraveram sedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo.

Ego verò delectabor in Domino, & exultabo in DEO JESU meo.

Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei JESU CHristi, in quem credidi, quem dilexi. Antiph. Eccl.

Quis sicut Dominus DEUS noster qui in altis habitat & humilia respicit in cœlo & in terra: ut collocet eum cum principibus populi sui.

Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum: Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor & protector factus es mihi.

Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea erat appropinquans in inferno deorsum.

Liberâsti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meã. &c. Eccli. 51.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia placuit Altissimo eligere me in servum sibi.

Non

Non fecit taliter omni nationi. Ergò magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.

Sit nomen Domini benedictum in ſæcula: In nomine JEſu omne genu flectatur.

Fidelis & benedictus DEus, qui vocavit nos in ſocietatem Filii ejus JEſu Chriſti.

Voveo! voveo millies quòd promiſi, & te ô Mater DEI & Virgo eligo in Dominam, Patronam, Advocatam meam: Suſcipe me in ſervum perpetuũ. Tuo pallio quo Societatem protegis, protege: tuo patrocinio defende me. Denique ô Virgo ſingularis, nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.

III.

Pſalmodia Renovantium vota: Seu ſeptem Pſalmi Regulares.

PSalmi aliquot huic Renovationi quadrant immò & primâ vice nuncupatis votis religioſis, qui ſuaviter dici & expẽdi ſalubriter hodie poſſint, & pridie.

Primus Pſalmus eſt: Fundamenta ejus in montibus S. &c. Pſ. 86.

Secundus. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. &c. Pſ. 121.

Tertius. Niſi quia Dominus erat in nobis. Pſ. 123.

Quartus. Qui habitat in adjutorio Altisſimi Pſ. 90.

Quintus. Quàm dilecta Tabernacula tua Domine Pſ. 83.

Sextus.

Sextus. Magnus Dominus & laudabilis nimis Pſ. 41.

Septimus. Lauda Jeruſalem Dominum Pſ. 141.

IV.

Materia Conſiderationum poſt Renovationem Spiritûs & Votorum.

I.

CONſiderationis Materia ſit illa, quàm offert *S.* Chryſoſtomus dicens: Conſidera pactum; conditionem attende; militiam noſce: pactum; quod ſpopondiſti: conditionem quâ acceſſiſti; militiam cui nomen dediſti.

2. *Sumetur* ex verbis illis Geneſeos: Poſuit Dominus DEus hominem in paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum. Nempe facilè eſt totam Paradiſi allegoriam ad ſtatum Religioſum transferre. At Adam noluit in ſtatu illo felici perſiſtere, idemque è Paradiſo ejectus ad ſpinas & tribulos & mille mala.

3. *Sit* ex verbis illis Apoſtoli: Acceſſiſtis ad civitatem DEI viventis, Jeruſalem cœleſtem, & Eccleſiam primitivorum qui conſcripti ſunt in cœlis, & ad multorum millium Angelorum frequentiam. Vide ergò quid hìc à te locus requirat.

4. Cogitare quòd ſim receptus iterum in domum magni Patrisfamilias: Proinde vivere debeam, ſic, ne

ſic, ne conqueratur: In domo mea fecit ſcelera multa. Item quòd ſim in cœlo terreſtri repoſitus, & in terra Sanctorum: proinde vitam cœleſtem & Sanctorum me vivere debere cogitabo: & ſic de aliis comparationibus cogitandum.

5. Cùm facilè ſit accendi ſub triduum renovationis, & facilè poſt extingvi ſpiritum; ut & apud Romanos Cuſtos Imperii flamma perpetuò à veſtalibus alebatur, & DEUS præceperat: Ignis ſemper ardebit in altari meo; ita igni illi fomenta opportuna poſtea adhibenda, ſeu media conſervandi Spiritûs; ut ſunt Meditationes accuratæ; Recogitatio frequens Motivorum, quæ ſanctiores igniculos accenderunt: Sacramentorum non frigidus uſus: Fuga familiarium licentiùs agentium: Fuga effuſionis in res externas & converſationem nimiam & haud neceſſariam: Lingvæ continentia, per quam theſauri animorum facilè effunduntur: Reflexio Hebdomadarìa, & Menſtrua & Quotidiana examina accuratiora: Lectio ſpiritualis authorum. Qui affectum non intellectum patent. &c. &c.

6. Cogitare, quales fuerint Apoſtoli induti virtute ex alto, ſeu poſt acceptum Spiritum Sanctum: quales quoad DEUM, quoad ſe, quoad Orbem. Antea in illis multa notabantur & reprehendebantur, ut ambitio illa. Quis eorum videretur eſſe major: Adhuc & vos abſque intellectu eſtis: Neſcitis cujus ſpiritus eſtis: Neſcitis, quid petatis: Omnes relicto eo fugerunt, Petrus negavit, Judas vendidit; poſt miſſionem S. Spiritûs confirmati ſunt in gratia; Sancta omnia & magnifica in illis celebrantur.

Hic etiam cogitare licet, qualis Paulus Apostolus post suam conversionem, quale vas electionis &c. Qualis Augustinus similiter post conversionem, Fac similiter.

7. Considerare licet, qualis Moyses à consortio Domini: splendida facta est facies Moysi, ita ut filii Israël intendere oculos in ejus faciem non possent. Nimirum illustrem DEI servum esse decet à DEI consortio.

8. Illud etiam congruit cogitare: Quasi modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite. Quamvis pudeat diu lac sugere: non objiciatur: Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Potiùs ergò & lac & solidum cibum adhibe deinceps solidum cibum dabunt virtutes solidæ.

9. Considera & fac delectum virtutum toti vitæ tuæ transcendentalium deinceps cum plausu cœli & tua laude insigni. Tales sunt, quas totâ vitâ sectari debebis. Prima Virtus Puritas tenerrima conscientiæ. Secunda. Puritas & sublimitas Intentionis. Tertia. Victoria tui in omnibus. Quarta. Perfectio operum ordinariorum juxta modum suprà indicatum & juxta industrias aliorum & tuas. Quinta. Sanctus lingvæ usus, & ad illam perfectionem annisus: Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Sexta. Votorum & instituti exacta observantia. Septima. Zelus animarum sincerus, universalis, exemplaris, constans. Octava. Studium Divinorũ & cum DEO conjunctio. Nona. Has omnes virtutes custodiat humilitas profundissima, sine qua (ut de chari-

tate

tate ait Paulus) nihil ferè mihi prodest, juxta illud Gregorii: Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.

10. Resumi poterunt duplices considerationes positæ hìc sub primo die. Prima. De novitate vitæ, ubi de vita reflexa, vita ordinata, vita exemplari, vita laboriosa, vita mortua, vita vera non apparente, vita Divina, vita Theandrica, vita MARIANA, vita Angelica, vita Beatorum, vita juxta Spiritum tuæ Religionis. Secunda. Quæ continet tria monita in fine ejusdem primæ diei, de insvescendo cogitationibus sanctis. &c.

11. Sit consideratio S. Augustini, dum illi insolitæ consuetudines malæ, & ut ille vocat, nugæ nugarum antiquæ recurrerent, seseque illi rursum insinuarent illis vocibus eum attrahentes: Augustine, uos sumus illæ tuæ, tibi olim amicæ. Quibus ille generosè respondebat & constanter: Sed ego non sum ille. In hoc tota vis & fructus Renovationum & Recollectionum sacrarum consistit, sic reipsâ illis vetustis illiciis respondere.

12. Cogitabo talenta mihi de novo data, nōvas gratias & lumina, de quibus dicit: Negotiamini dum venio. Viderim proinde, ne sim ut ille qui abiens defodit in terra talentum, & in vacuum gratiam à DEO recepit, ideòque audivit: Projicite illum in tenebras exteriores.

13. Cogitabo & illud mihi dici à Domino: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Fidelitas tum in promissis spectatur, tum in bona re-

rum Domini administratione. Esto ergo fidelis servus & prudens.

14. Denique illud S. Ambrosii dictum expendi potest: Ex duobus constat Ecclesia; ut aut peccare nesciat, aut peccare desinat: Pœnitentia enim peccatum abolet: Sapientia cavet.

V.

Intentionis Sublimatio.

A Festo Renovationis & Intentionis sublimitatem renova. Sæpè alibi, & hìc commendatur puritas ac sublimitas Intentionis; & meritò; cùm notum sit, quantum in ea situm sit momenti. Quare juvat ejus Paradigma positum renovare. Universalis quidem intentio est glorificatio & exaltatio DEI quàm maxima, juxta illud Pauli: Omnia in gloriam DEI facite. Vel illa ex S. Gregorio, Intentio, quâ soli DEO placere quærimus; vel ut loquitur S. Bernardus, si solo desiderio placendi DEO operemur: Vel illa S. Magdalenæ de Pazzis: si scirem me dicto vel facto aliâ intentione quàm ex amore DEI, evasuram in Seraphinum; id non dicerem, nec facerem: Tamen aliter locupletius eam elicies & renovabis.

PRO-

PROTEUS SACER,

SEU

SACRUM OCTIDUUM

ANNUÆ RECOL-LECTIONIS


Quoad uſitatas tunc Con-templationum Sacrarum mate-rias variè ſummatimq;

PROPOSITUM.

*T*Itulus indicat quò colimen: Non est tamen propositum mihi, diu per singula ire; sed obiter tantùm aliqua insinuare. Plura de iisdem materiis alii, & Fax Ascetica.

Ponet desertum ejus quasi delicias & solitudinem ejus quasi hortum Domini.

Isaiæ 51.



PROTEUS SACER,

Seu

Varii modi, variandi materias Octiduanæ Recollectionis.

§. I.

Possunt Materiæ ex more tunc decurrendæ per octiduum accomodari octo beatitudinibus sic. *Prima Dies.* Beati qui lugent. Materia luctûs & doloris, tum recessus à Fine Creationis; tum multiplicitas reatûs & peccatorum: tum abusus mediorum ad finem. *Secunda Dies*: Beati Mundo corde. Hìc odium peccati tum mortalis, tum venialis, tum omnimodæ puritatis studium accendatur ut hæc beatitudo in terris habeatur. Præmium illius (DEUM videbunt,) trahi etiam potest in medium puritatis, nam memoria præsentis DEI & oculus apertus ad ejus omnipræsentiam, frenum est peccati; sicut & pœna damni, seu DEUM æternùm non videre. Ter-

tia Dies: Beati misericordes. Ubi sui ipsius quemq; misereri decet, ut se à Judicii Divini districtione, tum à gehenna & purgatorio liberet, ac cœlo inserat; tum deinde alios. Et certè Judex ille damnabit eos, qui misericordiæ opera neglexerunt. *Quarta Dies*: Beati Pauperes: hìc nati CHRISTI exinanitio, & Paupertas: hìc humilitas, hìc regnum CHRISTI considerandum: Ipsorum est Regnum cœlorum. *Quinta Dies*: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiã; Hìc CHRISTI vexillum, hìc de omnigena virtute: hîc de zelo justitiæ propriæ & alienæ cogitandum. Hic cibus esto animæ, præter SS. Eucharistiam. *Sexta Dies*: Beati mites. Hic de CHRISTI mansvetudine, tum aliàs, tum in Passione, inter calumnias, falsa testimonia, opprobria & contemptus, judicia & decreta, ubi tanquam impii causa judicata. *Septima Dies*: Beati qui persecutionem patiuntur; Hìc Passionis CHRISTI atrociora decurret dolor, ut accendatur imitatio. *Octava Dies*: Beati pacifici. Hic CHRISTUS Resurgens & dicens Pax vobis: hìc de unione & Pace cum DEO, & conformitate voluntatis ad Divinam cogitandi erit locus.

§. II.

POssunt & aliter Materiæ Sacri octidui institui & variari ex Face Ascetica quæ multis modis quasdam variat compendio,

§. III.

§. III.

POssunt item variari accommodatitiè ad creationem Mundi; ita ut præter sex Dies creationis & Sabbati Domini, loco octavæ diei addatur primus & fortâsse unicus dies Hominis post Sabbatum Domini, in statu innocentiæ & Paradiso voluptatis, in quo utinam perseverâsset. Tres primi dies creationis primis tribus diebus Recollectionis servient; *ad primum* referendo, Finem creationis & illud: Tenebræ erant superfaciem abyssi: Fiat lux. *Ad secundum*, Firmamentum,& congregationem aquarum. *Ad tertium*, Herbas & virgulta, & Arbores. Tres alii Dies ad viam illuminativam secundæ Hebdomadæ referentur de Sole & sideribus; de viventibus in aqua & volatilibus: de animalibus perfectioribus. Sabbatum Domini, MortemDominicam referet. Primus Dies post Sabbatum; Dies innocentiæ & sanctus, deliciæ Paradisi ad viam unitivam trahentur.

§. IV.

1.

POssunt octo diebus accomodari officia & tituli CHRISTI. Primò Caput hominũ & Angelorum; ubi Creationis Finis. Secundò. Legislator. Hic prævaricatio peccati. Tertiò. Judex. 4. Rex: hìc Regnum CHRISTI. Quintò, Magister & lux mundi: hìc Evangelium, & doctrinæ. Sextò. Pastor ovem quærens. Septimò. Redemptor & Mediator. Octavò. Pater & Sponsus, quibus titulis satis congruent materiæ solennes meditationum.

2. Possunt item eædem materiæ accommodari Divinis nominibus & Attributis quibusdam. Attributa hæc. Primum. Quòd DEUS sit Finis ultimus; quòd Creator & Dominus universorum, at si ego Dominus, ubi est timor meus? Secundum. Providentia, Beneficentia, Longanimitas, Immensitas: Malum coram te feci. Tertium. Justitia: Æternitas. Quartum. Sapientia & Veritas. Quintum. Omnipotentia; ubi miracula. Sextum. Misericordia; ubi Redemptio. Septimum. Charitas Divina. Octavum. Bonitas, Pulchritudo & Dulcedo increata & Immutabilis. Omnia hæc singulorum dierum octo, Materiæ sunt accommoda.

3. Possunt insuper DEI opera & actiones ad extra diebus Recollectionis applicari. Primò. Creatio, & Conservatio. Secundò. Concursus: servire me fecisti in peccatis tuis. Tertiò. Justificatio impii, & Prodigi Filii. Quartò. Vocatio. Quintò. Gubernatio & Gratiæ actuales, ac illuminationes. Sextò. Prædestinatio vel Reprobatio. Septimò. Redemptio. Octavò. Glorificatio. Nec ista difficilè trahentur ad octidui materiam.

4. Præter hos modos, adhuc dari possent symbolici seu per signa allegorica eorum, quæ meditationi tunc subjiciuntur, ut v.g. de Fine creationis esset symbolum sagittarius ad metam collimans, vel Hastiludium exercens, cui dicatur: Est aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum aut hastam? vel currentes in stadio ad bravium, quibus dicitur: Sic currite, ut comprehendatis; *In Materia* de pecca-

peccatis esset symbolum ille descendens in Jericho & concisus vulnere super vulnus, vel Nabuchodonosor in belluam mutatus; vel Servus ille decem millium talentorum reus ; vel Ovis perdita, aut drachma ; vel Arbor fici infructuosa ; succide illam; vel Filius prodigus ; vel Villicus iniquitatis : vel ille talentum defodiens ; vel Vinea ferens spinas & labruscas pro uvis ; Saphyra, Sodoma, Diluvium, Plagæ Ægypti & sic de cæteris, Nam Christi Incarnatio & Passio habet suas figuras & symbolicas prædictiones multas in scriptura, quas omitto ; & Meditator assumet.

Hic adhuc aliter Materias proponam per Dies octidui dispertitas. §. V.

FINIS CREATIONIS.

Hic dies expendet Finem, ad quem creatus Homo; idque variè proponetur.

I.

Finis creationis nostræ; & media ad Finem.

1.

E Nihilo tot condidit omnipotentia; & tu ex eadem argilla. Adora, & ama potentiam, & bonitatem producentis.

2. Tuum tamen nihilum est exaltatum ad sublimiorem finem; vult enim DEUS, ut hoc nihilum laudet ametque DEUM & DEO fruatur : imò idem nihilum univit Verbo, & te sibi vult conjungi.

3. Sed tamen hoc nihilum mavult ſæpè nihilum; libentius tendit in nihilum; agitque ob fines vanos, putatitios, falſos, pro nihilo illi DEUS; pro DEO merum nihil & vanitas, ac idolum venter, aut voluptas. Incende, quod adorâſti; & convertere ab hac idololatria.

4. Et aliæ creaturæ, & tu finem habes, glorificare DEUM; ſed tu vas electionis præ illis. Illæ tamen, ut & cœli meliùs enarrant gloriam DEI; tu es inter eos, qui cùm cognoviſſent DEUM, non ſicut DEUM glorificarunt. Si ſapis, ama tuum conditorem, & opta, ac auge illi bonum ejus extrinſecum, quod eſt Gloria DEI, eritque is amor benevolentiæ; nam amare aliquem eſt ei bonum velle ut Ariſt. 2. Rhet. c. 4. Eſto ex illo populo, de quo DEUS apud Iſaiam: Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit: in gloriam meam creavi eum. Idem promitte Chriſto, quod eidem Pater: Et clarificavi, & clarificabo nomen tuum.

Vas factori ſuo deſervit ad uſum, in quem id fecit; te in amorem, laudem, ſervitium, cultum & fruitionem ſui DEUS fecit: ſit ergo vita & omnis actio tua amor continuus DEI, laus DEI, cultus & adoratio DEI, recognitio ſervitii DEI; id in omnibus intende: ſit vita, continua præparatio ad viſionem beatam, at ò quàm ſæpe contraria! ubi eſt timor & amor meus? ſic inhonoraſtis me? ait DEUS.

6. Nemo efficaciter intendit finem, quin media ad finem adhibeat. Ad tuum finem aliqua media

ſunt

ſunt neceſſaria, puta ad ſalutem; ut eſt ſtatus gratiæ, & carentia peccati mortalis, aut ejus abolitio per contritionem, amorem DEI vel Martyrium: vel confesſionem: alia utilia ad finem, naturalia & ſupernaturalia, in quibus videndus eſt uſus vel abuſus; & ne media ſint pro fine: alia media periculoſa; ſed ſecerne pretioſum à vili, utile ab inutili.

II.

Finis creationis noſtræ aliter proponitur.

I.

Finis noſter, eſt Glorificatio DEI, & Glorificatio noſtra æterna; ſeu, ut glorificem DEUM, & ut glorificer à DEO. Glorificationis Divinæ à te Curandæ motiva. Primùm, Glorificantes ſe glorificat. Secundùm. Pulchrum eſt ſi tibi dicat DEUS: Laus mea tu es: gloria mea: in te gloriabor. Tertiùm. Quia te ſic esſe probas vas electionis, quod portet nomen DEI. Quartùm. Quia hic finis glorioſus tibi, communis cum DEO & Angelis. Quintùm. Quia aliæ creaturæ glorificant DEUM, quibus dicitur: Benedicite omnia opera Domini Domino; tu ne illis cede, &c.

2. Praxim glorificandi DEUM S. Pr. Ignatius ponit in timore, amore, laude, reverentia, ſervitio DEI & ſalute noſtra æterna procuranda. Pater Lancicius hæc ponit. Primò. Fugere quodvis peccatum. Secundò. Expiare illa citò quoad culpam

&

& pœnam. Tertiò. Omnia opera agere ex motivo ſupernaturali, & ſine miſtura defectuum; in ſtatu gratiæ. Quartò. Inter opera bona eligere perfectiora, vel magis ſenſui repugnantia. Quintò. Glorificare DEUM bonæ converſationis exemplo, officii rectâ adminiſtratione, uſu temporis ſancto, adverſorum tolerantiâ, quibusdam omisſionibus & carentiis, victoriâ ſui, zelo animarum, adeoque plurimos ducendo ad glorificandum DEUM: Magnificate Dominum mecum, &c.

3. Praxis conſequendæ gloriæ æternæ requirit ſtatum gratiæ, Pœnitentiæ actus, obſervantiam mandatorum, fugam & horrorem peccati, exercitium Virtutū unicè neceſſariarum, ut fidei Spei, Charitatis in DEUM & proximum: conducit ad eandem electio ſtatûs Sanctioris, conſilia & ſequela Chriſti, actus heroici in exercitiis Virtutum, Imitatio Sanctorum & chariſmatum meliorum.

III.

De fine Hominis aliter.

I.

VIde ea quæ reducunt à Fine creationis ſeu gloria DEI, & ſalute tua; nempe peccata &c. contra quæ te arma. 2. Vide quæ neceſſaria ſint vel ad finem conducant: ut ſtatus perfectior, obſervatio mandatorum & conſiliorum, fuga peccati, tempeſtiva pœnitentia, ſtatus Violentorum, ſtatus Gratiæ. 3. Vide, quæ periculoſa ſint ad finem;

finem; ut conversatio incauta & nociva, familiaritas noxia; sensuum effrenatio, occasiones non vitatæ, dilatio emendationis. 4. Vide quæ illudant, & videantur rectà ducere ad finem; ut sunt mala principia seu dictamina; & illud: Fili, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

IV.

De Fine quadruplici.

1.

FInis Hominis cujusvis jam est descriptus nempe in illud ferri, ac tendere, quod & ad gloriam Conditoris facit, & cujusvis salutem. Media, præter Naturalia in cœlo & terra, anima & corpore; sunt alia Supernaturalia: ut Incarnatio Christi, Sacramenta, Gratiæ actuales. Vocatio Religiosa, &c.

2. Finis Religiosi est perfectius serviendi DEO, perfectius eum laudandi, diligendi, venerandi & exaltandi, & major securitas salutis, nec non major ac perfectior Christi imitatio. Adsunt ad finem hunc media in quavis Religione, tum communia Religiosis, tum particularia, huc spectat valedictio sæculo, subtractio tot occasionum, peccati & damnationis; media item positiva, ut vota & Regulæ, Sacramentorum usus frequentior, sanctiorque; usus mortificationum, Spiritualis instructio per libros, exhortationes, Superiorum monita, &c.

3. Finis Religiosi Societatis JESU duplex; nimirum salus & perfectio propria; item salus & perfectio aliena seu proximorum; Major hic DEI gloria, major amor, majora omnia sint necesse est;

Quia excellentiora & plura media tum in ordine ad se, tum ad alios.

4. Finis Sacerdotis etiam distingvendus quoad prædicta tum in seculari Sacerdote, tum in Religioso, tum in Presbytero Societatis. In genere equidem finis Sacerdotii est, tum Supremus DEI cultus per Sacrificium tam excellens; tum intima cum Christo conjunctio perque usum tam frequentem SS. Eucharistiæ quædam invisceratio; tum auxilium animarum tot in Urbe pereuntium, earumque juvamen per exempla & doctrinam & Sacramenta; tamen plus à Sacerdote requiritur, qui plus talenti & gratiæ habet, & oratio vocationis exigit.

Fac ergo ad quod conditus es: ad quod vocatus; ad quod ordinatus es. Media ad finem possunt comparari Scalæ Jacob in cœlum desinenti, per quam descendentes & ascendentes Angeli. Sed media hæc debent esse gradus hujus Scalæ ad ascensum ad cœlum; non ad descensum.

PECCATA.

I.

Denominationes peccatoris.

I.

PEccator est mendax: tum quia in baptismo subjecit se legi Christi, dixitque Renuntio dæmoni, & pompæ sæculi, at mentitur; tum quia dicit se diligere DEUM, & mendax est; nam dicitur: Qui diligitis Dominum, odite malum; tum quia in

Con-

Confesſione DEO emendationem toties promiſ-ſam eludit. Viderit, ne de ſe dicatur: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

2. Peccator eſt ſtultus; tum quia DEO præfert creaturam, imò nihil: tum quia peccatum eſt contra rationem, quæ dicit omne malum morale fugiendum: tum quia in illud, Audi popule ſtulte; ait Hieronymus: ſtultum vocat, quia Sapientiæ reliquit Authorem; quod hìc etiam evenit.

3. Peccator eſt injurius in DEUM, & omnia ejus attributa. Injurius in locum & cætum ſacrum, in terra Sanctorum iniqua gerens: injurius in ſtatum qui aliud exigit; injurius in alios, quibus eſt cauſa ruinæ ſeu Scandali: injurius in tempus, & concurſum DEI, quo abutitur, in cœlum & terram, & in alias creaturas, in Angelum tutelarem, in corpus & animam, in dona & beneficia DEI; ut patet.

4. Peccator eſt temerarius; quia ſe exponit periculo damnationis; periculo plurium peccatorum, quorum unum punitur alterius permiſſione, vel unum diſponit ad aliud: eſt crudelis in Chriſtum quem crucifigit: in ſeipſum, quem condemnat, in omnem creaturam, quæ ingemiſcit de contumelia Creatoris.

5. Peccator eſt monſtrum: tum quia eſt præter intentionem naturæ Chriſtiani Statûs, vel Religioſi: tum quia nihil monſtroſius eſt dæmone; at de peccatore dicitur: Unus ex Vobis diabolus eſt. Tum quia tot gratiæ in eo formant DEUM; & ecce prodit dæmonis figura, cùm dicat Chryſoſtomus:

Pecca-

Peccatum est magnus dæmon: tum quia gratia sanctificans eum immutat in DEUM, usus SS. Eucharistiæ in Christum; at ille hac specie positâ, turpem laruam induit, &c.

II.

Jactura ex peccato multiplex & pœna.

JActura gratiæ, quæ omnibus mundi regnis pretiosior; at minorem non ferres. Jactura DEI; prô quanta tanti boni! Jactura meritorum in peccato, & ante peccatum comparatorum: Jactura temporis in rebus æternùm damnosis, & damnabilibus: Jactura cœli: jactura animæ. Alibi dicis: Damna fleo rerum; & hic taceat pupilla oculi tui!

2. Pœna multiplex peccati. Primò. Æterna gehennæ incendia. Secundò. Tormentum conscientiæ, Tertiò. Peccati per aliud peccatum permissum punitio. Quartò. Desperatio & impœnitentia, ac induratio Pharaonica. Quintò. Sæpe inusta infamia; Sæpe mors subita & imparata. Sextò. Confusio publica in extremo judicio. Septimò. Subtractæ multiplices gratiæ, & in plerisque negata benedictio & solatia. O certè multa flagella peccatoris!

3. Motiva deplorandi peccati. Primum. Passio Christi ob illud tum occisi, tum postpositi latroni, Non hunc, sed Barabbam. Secundum. Gaudia Cœli super peccatore pœnitentiam agente. Tertium. Exem-

Exempla Sanctorum pœnitentium. Quartum. Læsa DEI attributa, beneficia malè reposita. Quintum. Tot Scandalum passi; acsi parum foret te malum fuisse, nisi plures efficias DEI contemptores.

4. Modi delendi reatûs culpæ & pœnæ: *Sacramenta*, *sacrificia*, *fructus pœnitentiæ digni*, &c.

III.

Quatuor classes peccantium.

I.

DE Christo Petrus: Qui peccatum non fecit: Paulus de eodem: Qui peccatum non novit; & de quodam Elogiastes: Inter tot scientias peccare nescijt. Felix ignorantia! At non sic omnis peccans ignorans. Felix, qui illuc pervenit, ut cum Christo dicat: Quis me vestrûm arguet de peccato? ut Vites, & vitare illud nôris, accipe distinctiones peccati & peccantium.

2. In quadruplici classe peccata repono. Prima. Alia sunt propria; alia aliena, quorum sumus quandoque causa vel occasio. Secunda. Alia sunt gravia, alia levia. Tertia. Alia sunt interna; externa alia, seu in opus externum prodeuntia. Quarta. Alia publica, alia privata. His quatuor classibus communes illæ notæ, ut quandoque sint circumstantionata, vel quoad circumstantias mutantes speciem, vel aggravantes: item, ut sint frequentia & numerosa (multum est enim) vel secùs; item ut sint quoad unam tantùm, vel plures species: item ut sint ex habitu & prava consvetudine; vel ex subreptione; deliberatè, vel minùs advertenter. Tua

peccata

peccata ad quam classem vel notam pertinent? ad unam, an omnes? Vide, deplora corrige.

3. Peccantium classes etsi eædem possint dici, quæ modo recensitæ sunt peccatorũ classes; tamen præter classes infidelium & fidelium sæcularium & spiritualium, in Regularibus distingui possunt peccata Superiorum, & Subditorum; Sacerdotum, Officialium, Scholasticorum, Fratrum. Ita unusquisque de his conscientiam interroget, ut motiva in genere & particulari contra illa recogitet. Motiva generalia sunt religioso; tum quia pertinet ad Sanctiorem partem gregis Christi, & religio est specialiùs domus DEI, non spelunca latronum; tum quia tot sunt hic gratiæ & lumina: tum quia in Religione (ait Bernardus) vivit, & vivere debet homo priùs, cadere rariùs: tum quia ut nonnemo ajebat, Religiosus & peccatum mortale in eodem, monstrum! Vide tamen quid contingat in votis, regulis, conversatione, &c. Motiva item generalia Sacerdoti sunt; tum quòd Christi personam gerat in Sacramentis conficiendis; cui quanta Sanctitas non congruit! tum quia Sacrificii & Sacerdotii dignitas, quid non exigit? tum quia juxta Gregorium maximum præjudicium dicitur pati DEUS à Sacerdotibus, &c.

IV.

Diminutio Peccatorum.

I.

ECclesia juxta Ambrosium constat vel iis, qui peccare nesciunt; vel qui desiêrunt. Addo tertium genus

genus eorum, qui ſaltem ex parte, ſi non ex toto deſierunt peccare: puta non in tam multis, non in tam magnis, vix aliquando. Si inter primos non es, laudabile erit in tertiis conſiſtere.

Diminutio peccatorum ſic fiet. Primò. Ne in tot ſpecies peccatorum impingas. Secundò. Ut vix in unam vel alteram ſpeciem: idque leviorem. Tertiò. Idque in exiguo numero & vix aliquando contra illam etiam levem ſpeciem impingendo; nunquam contra gravem, Quartò. In externa quæ facilius ſcandalizant, nunquam prolabi. Quintò. Periculoſa ſolerter cavere. Sextò. Vix unquam de liberatè, vel nunquam plenè deliberatè, etiam leviter delinquere. Septimò. Quandam impeccabilitatem moralem in animum, & agendi modum, inducere; ut nec velim unquam deliberatè delinquere, oblatis omnibus bonis mundi. Vel malis omnibus, intentatis; nec moraliter poſſim. Octavò. Reatum minimum non pati, quin ſtatim deleam, contritione, amore DEI, qui repugnet omni peccato, vel aliter. Nonò. Diminutio peccatorum etiam in aliis ſtudioſè curanda, promovenda, impetranda. Quoad peccata pulchrum eſt, ſi dicatur quiſque, Inventus minus habens.

V.

Puritas eximia.

I.

MOtiva ſummæ puritatis hæc accipe. Primò. Qui amat cordis munditiem, habebit amicum Regem,

Regem, ait Sapiens. Secundò. Quia primum, quod à corde tuo requirit DEUS, eſt, ut ſit cor mundum. Tertiò. Qui coram DEO in Cœlo aſſiſtunt ſunt mundiſſimi; at & tu dicis: Vivit Dominus, in cujus conſpectu ubique ſto, & vivo. Quartò. Qui uſus SS. Euchariſtiæ extremam munditiem requirit; item Sacerdotium, unde Auguſtinus ait: Innocentiam ad altare apportare. Quintò. Quia Chriſtus ut ſimus Filii lucis monet, at DEUS lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt ullæ, &c. Sic ergo & Filii DEI, filii lucis ſunto.

2. Multiplex eximia puritas: Sicut aurum mundum ſine ſcoria, & triticum ſine zizaniis, ut pulchrum ſine nævo, bolus ſine oſſe. Sit puritas tum illa conſcientiæ, ut proximè dictum de diminutione peccatorum; tum puritas à reatu pœnæ; tum puritas intentionis: ſit Puritas æmulatrix Sanctorum in terris & in cœlis: ſit puritas Angelica, puritas MARIANA, qua major non eſt ſub DEO juxta Anſelmum.

3. Illud etiam pulchrum eſt, ſi à te exquiras ut inſit actionibus tuis tam puritas ab imperfectionibus poſitivis, quàm negativis: nempe tam ne inſint actionibus aliquæ imperfectiones, quàm ne deſit debita, vel apta, & facilè parabilis perfectio. V. g. Virtutibus ne deſit gradus & intenſio major, quæ poſſit adhiberi commodè, vel quoad modum operandi & cavendum majoris perfectionis defectum. Sæpe idem perfectior agit & imperfectior; tamen hic ſuperat quoad modum & intenſionem. Non

raro

raro item aliqui boni collati aliis videntur defectuosi; quia illorum actioni, aliquid perfectionis deest, quod est in illorum simili actione. Hæ ergo imperfectiones negativæ sunt defectus intensionis, vel purioris aut altioris intentionis; defectus quoad modum operandi minùs perfectum, vel non secundùm, ideam perfectiorem, vel non secundùm habitûs intensionem, vel non ferventer, nec cum majori applicatione agendo. Vide suprà de nævis bonorum operum.

VI.

Contra peccata Venialia.

I.

CONtristant Spiritum Sanctum juxta Divum Basilium. Secundò. Nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum. Tertiò. Est aliqua in iis irreverentia DEI subique præsentis: Quartò. Disponunt ad mortale. Quintò. Maculam animo inducunt quibusvis Spurcitiis fœdiorem. Sextò. Nec pro mundo toto convertendo & salvando licet veniale. Septimò. Omnibus malis Physicis est pejus veniale peccatum; siquidem illa potius subeunda quàm leviter peccandum. Octavò. Pœnas graves inducit tum in illa, tum in hac vita ut notum. Nonò. Charitatis fervorem imminuit. Decimò. Solo peccato motrali est inferius malum: Undecimò. Etiam in inferno juxta quosdam punitur æternùm; quia cùm nunquam veniale dimittatur damnatis quoad culpam, nec quoad pœnam; quæ ratio deducitur ex S. Thoma.

2. Vide quæ in te graviora frequentiora, periculosiora, magis ſcandaloſa, magis incongrua ſtatui; quæ in tuo officio, quæ domi foriſque, &c. contra quæ te arma & præmuni.

MORS.

I.

Regulæ bonæ Mortis.

1. REgulæ bene vivendi, ſunt Regulæ bene moriendi.

2. Vive ut mortuus, nimirum mortuus peccato, Vive DEO; mortuus amori mundano, proprio, & ſenſuali; voluntati & judicio proprio, cupiditatibus & inclinationibus naturalibus & inordinatis.

3. In mortuo habeas vitæ ſanctæ exemplar, nam cadaver eſt pro libitu tractabile, humile ſenſuum nullus in eo uſus & abuſus.

4. Contemptui mortis aſſveſce, non tantùm ubi peccatum, Malo mori quàm fædari; ſed aliàs; tum ne ſis in ſtatu ſubdito peccatis, tum quia qui offenſam DEI odit, & vitam, in qua non vivitur abſq; tali offenſa.

5. Vita ſit continua ad bonam mortem diſpoſitio, digna ſemper felici æternitate per vitam inculpatam, actus frequentes amoris Divini, & contritionis; & non erit mors improviſa.

6. Curabis ut mors te inveniat plenum meritis; erit mors prætioſa, noli mori morte ignavorum.

7. Opta

7. Opta mori & ex amore DEI ideoque scientiam vive & agere omniaque esse ex eodem amore hoc est in Domino mori; nam qui manet in charitate in DEO manet teste Divo Joanne.

8. Vias malæ mortis declina inter quas est vita laxior, deserta vocatio, sequela eorum quorum mors est pessima.

II.

Bona Mors.

I.

DE muliere forti Salomon: Ridebit in die novissimo. Quæ causa? quia mulier fuit omnimodæ virtutis, ut ibi licet advertere; ideò alii vocant Mulierem virtutis.

2. Vitæ benè gestæ ratio huc conducit; quod innuit dictum Ambrosii: Non ita vixi ut mori timeam; & bonum Dominum habemus. Hinc conscius vitæ meliùs gestæ timorem propulsat Hilarion; 70. annis servivisti DEO; & mori timeas?

3. Si quid gemmæ illius pretiosæ Evangelicæ nomen meretur certè bona mors. Magni illa constitit illam ementi; & hæc non viliùs constat. Impende quantum poteris; non te pretii profusi pœnitebit: nulla etiam hora est, quâ mortem hujusmodi emere non possis.

4. Prodromi bonæ vel malæ mortis dignoscantur: Hi, ut vitentur; illi, ut curentur ac præmittantur. Qui præmittit bona opera & signa præ-

destinatorum expressa etiam à Drexelio, exprimit, bonos prodromos mortis ad vitam habet.

III.

Varii Cœtus Moribundorum.

I.

NOsocomium duplex tibi statue; Hîc benè, illic malè morientium ex varia classe hominum. Primò ergò in malo subsiste, circumi. Specta malum obitum, & horre: Inquire vel ex moribundis illis, vel ex eorum Angelis custodibus de causa malæ mortis, & hanc devita. Transfer te hinc in bonum Nosocomium, & fac similiter; inquire, & sequere.

2. Congregationem bonæ mortis ineas, cujus hæ leges. Primò. Curare esse semper in gratia. Secundò. Agere omnia ex amore DEI & eundem sæpiùs elicere, & quidem incompossibilem cum ullo peccato: ut sic per continuam consvetudinem agendi, etiam scias mori ex eodē amore quæ mors svavissima.

3. Præparationem ad mortem sæpè institue per actus, quos tunc velles eximios & justificantes; potissimùm in utroq; examine ante Communionem, quâlibet horâ, ante somnum.

4. Quotidie felicem mortem postula. Et ad id obtinendum varia offer DEO, B. Virgini, & SS. &c.

5. Scholam Bonæ mortis vide in Face Ascetica.

IV.

Filius mortis.

I. Sic

I.

SIc dictum à Davide contra pauperis invaſorem, Filius mortis eſt. Ergò & mors parit, adeòque interitus unius, eſt generatio alterius vitæ. Quare, etſi generatio ſit origo viventis à vivente, hìc tamen à non vivente vivens prodit, dum mors in meliorem vitam gignit. Qui ibi filius mortis, eſt ſimul filius vitæ. Sic quoſdam mors genuit in meliorem vitam, ſui timore perculſos & horrore. Sic præter alios S. Franc. Borgiam, cui mors Iſabellæ Auguſtæ vitam dedit. Sic illi qui audiens legi ex Geneſi de tot illis longævis noſtris majoribus, quorum cuique ibi additur: & mortuus eſt; melioris vitæ injecti eidem igniculi. En filios mortis! En Genethlia nova!

2. Primus Parens nos in mortem genuit: Secundi Adam mors in vitam regeneravit. Sic Chriſti mors mater noſtra melior, nos vitæ filios efficit, & eoſdem filios ejus mortis; filios Benoni ſeu verè filios doloris. Sed qui filius eſt mortis Chriſti, deducat originem ab hoc parente in ſimilitudinem naturæ. Sic certius erit ſimul filius mortis & vitæ. Vult certè Pater æternus nos conformes eſſe imagini Filii ſui, Parentis noſtri. At qui ei conformis eſt, eſt conformis vitæ, quæ Chriſtus eſt: quidni ergò vivat æternùm hic filius mortis?

3. Etiam mors Sanctorum vel malorum in cautelam conſiderata, bonam mortem & vitam parturit. Qui ad hanc attendit, & ad meliora accenditur; Filius mortis eſt & vitæ ſimul. Nam hujuſmodi filii hæreditas non alia, quàm vita. Denique qui vivit ceu mortuus mundo & ſibi ac peccato nomen habet,

bet, quòd mortuus eſt & vivit DEO hic filius mortuus.

V.

Noviſſima lenire tum tibi, tum aliis.

I.

Tibi illa mollies primò; ſi quoad mortem, vitam ſuavi morte dignam inſtituas, & impediment amoliaris. Secundò ſi utaris, quæ Judicem irâ ex armant. Tertiò. Si cauſas inferni longè ab ani mo habeas: Purgatorium tollas, vel minuas, quoa pœnam tibi debitam. Quartò. Si viam arctam qu ducit ad cœlum teneas.

2. Aliis idem præſtabis; Si mortem illorum fe licem procures, impetres: ſi tollas, quæ illis jud cium grave ac infernum accerſunt: Si animas pur gatorii omnimodis juves: ſi compluribus cœlum aperias.

JUDICIUM.

I.

Evaſio Judicii Divini.

I.

Morte & fuga evaditur terrenum Judicium: t morere myſticè, & Divinum evades. Mor hæc eſt ut dixi, mori peccato, mundo, carni, & a mori proprio.

2. Sæp

2. Sæpè non agnitus & immutatus in oculis hominum, evadit humanum judicem. Tu immutare in alium, in Christum per ejus amorem, & SS. Eucharistiæ sanctum usum (quæ duo in Christum transformant) per illud item quod filios DEI efficit, ut esse pacificum, misericordem, dimittere inimicis; sic immutatus judicium non pertimesces.

3. Baptismus delet omnia judicio ingerenda. Sæpè mysticè baptisare per contritionem, quæ est baptismus flaminis in non baptisatis; per renovationem votorum Religiosorum per quæ ingressus Religionis æquivalet baptismo. &c.

4. Evadit judicium factus Augustus, qui à nemine judicatur, uti & Servus servorum DEI Papa; tu Rex tui ipsius & affectuum tuorum esto, &c.

5. Innocentes baptisati si moriantur, non judicantur. Subtrahe & tu materiam judicii vitâ innocenti. Item peccata dele sangvine Christi, & chirographum mortis cruci affige. Item noli judicare; non judicaberis. Esto deniq́ue Judex; non reus vel judicandus; Judicem te faciet sequela Christi ex ejusdem sententia.

II.

Quæstiones de Judicio.

I.

QUæ differentia Judicii Divini, & humani? ibi nihil absconditum, nulla Judicii corruptio: non respondebis unum pro mille.

2. Quantus terror Judicii Divini? quanta districtio? Arescentibus hominibus præ timore: di-

dent, Cadite montes super nos. Huc spectat pictura Judicii, Bogorem Principem convertens. Huc Hieronymi auribus tuba insonans; huc Felici Paulus de judicio prædicans, eumque tremefaciens: huc illa comminatio: Et scito, quia pro his omnibus adducet te DEUS in judicium: Horrendum est incidere in manus DEI, judicantis usque ad verbum otiosum, usque ad medullas cordium, usque ad bona opera; justitias judicabo.

3. Qui Judices? Qui testes? Quis reus? Rei sensus, potentiæ aliæ, tempus, bona opera. Testes etiam, qui tibi præbuerunt bonum exemplum; quibus tu malum; Testis in cœlo fidelis: testis Angelus, conscientia mille testes. Judices erunt præter Justos, etiam alii: Viri Ninivitæ surgent: Regina Austri surget in Judicio. &c.

4. Quis non judicabitur? qui non judicat, qui abolet materiam judicii per Sacramenta, & actus justificantes; & novam non adjicit: qui se dijudicat qui aliis dimittit: &c.

5. Quis mitiùs judicatur? qui facit misericordiam: qui habet amicum Regem; qui habet potentes Patronos, inter quos B. VIRGO, & bona opera.

6. Quis processus Judicii? quæ sententia?

7. Quomodo tempestivè placari possit & irâ exarmari Judex? per opera heroica, &c.

8. Qui Assessores Judicis?

III.

III.

De Judicio Religiosorum.

I.

MOnet Gregorius, ne qui plùs cæteris ab Authore mundi accepimus graviùs judicemur. At Religiosi plùs gratiarum acceperunt; plùs gratiæ ad vitanda peccata, plùs ad exercitium bonorum operum, plùs exemplorum, plùs obligationis, plùs stimulorum: dicet cœlum. Seminavimus multum, intulimus parùm.

2. Comminationes illæ huc pertinent: Scrutabor Jerusalem in lucernis. Quot hæ & quæ lucernæ? Justitias judicabo; quid censendum de injustitiis? tempus est ut judicium incipiat à domo DEI. In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini Nazaræi mei. En ut denigrata est super carbones facies eorum, &c.

3. Cuidam dicitur in Apocalypsi: Habeo adversùm te pauca: at quid si plurima? Certè singula districtè discussionis judicio subjacebunt quoad vota, quoad Regulas, quoad Divinorum neglectum, quoad usum Sacramentorum, quoad intentiones, quoad scandala, quoad peccata quævis, quoad bona opera remissè ad oculum facta. &c. Similiter bona in laudem expendentur; & erit hic illis laus à DEO. &c.

Malo dicetur. Quid hæc audio de te? Quare tu enarras justitias meas? tu verò odisti disciplinam; & projecisti sermones meos retrorsum: Sedens ad-

versùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs filium Matris tuæ ponebas ſcandalum: Os tuum abundabit malitia & lingva tua concinnabat dolos, &c,

IV.
Judicium Particulare & Univerſale.

I.

QUoad Particulare, cogitandum Ubi, quando, quibus judicio aſſiſtentibus peragetur. Secundò. Qualis Judex, quàm diſtrictus, quæ judicii materia & proceſſus? Tertiò. Sententia pro merito, prout quisque geſſit. Quartò. Cui væ ibi? cui exultatio?

2. Quoad Univerſale, Primò Cauſæ judicii; ut ſententia lata in particulari Judicio, & opera cujusque orbi innoteſcant: ut corpus etiam decretum referat: ut Juſtis honor & Chriſto contempto ab omnibus improbis habeantur. Secundò. Præcedent Judicium, Solis obſcuratio, perſecutio Antichriſti, tuba Archangeli, & reſurrectio mortuorum; & adventus Filii hominis in majeſtate; ſeparatio malorum à bonis. Tertiò. Proceſſum judiciarium ex libro conſcientiarum, in quo lamentationes, carmen & væ, ut vidit Ezechiel, vel meliora. Quartò. Sententia in utrosque Ite, Venite: & cauſæ ſententiæ. Eſurivi, &c. Quid de aliis cauſis majoribus cenſendum? Quintò. Executio mandati: Ibunt hi in ſupplicium æternum; Juſti autem in vitam æternã.

ÆTER-

ÆTERNITAS.

I.

ÆTernitatis menſura, ſemper & nunquam : Semper eſſe, & nunquam deſinere : Semper hodie ; nunquam finis. Huc faciunt notiſſimæ comparationes de avicula montem per pulviſculum deferente. Per lacrymas damnati guttatim impletis innumeris Oceanis : per numeros cœli convexo vel mundi machinæ inſcriptos ; quæ æternitatem non adæquant. Quid hinc non inferet prudentia Sanctorum ?

2. Æternitatis æſtimatio & prælatio : quidni enim præferas brevi æternum ? deſitura, non deſituris bona vel mala ? perenne quàm nunc deliciarum vel cruciatuum ? Ratio ipſa hic concludit.

3. Æternitatis memoria : quid hæc in plurimis non effecit ?

4. Amor & cura felicis æternitatis : horror, timorque infelicis. Hic calcavit purpuras, & matres, ac pompas ſæculi, & voluptates in pleriſque ; hic vitiis inexpugnabilibus fecit finem. Multis ſomnum eripuit, annos æternos revolventibus.

5. Æternitatis inculcatio frequens etiam aliis ; ut & illi inferant : Vivam non tempori, ſed æternitati : Hic ure, dum æternùm parcas. &c.

6. Defectus prudentiæ & rationis in quibusdam notandus. Nemo ſibi de recta ratione blandiatur, qui æternitatem penſare neſcit. Delirat, qui momentum horret in ſupplicio, & æternitatem pœnæ a-

næ amat; ceu ratio non dictet, hanc præ momento magis esse intolerabilem & fugiendam. Idem dicendum in affectu prosecutionis boni momentanei præ æterno. At etiam inter sapientes, sic delirantium pœnè infinitus est numerus.

Davidis melancholia, ejusq; Objectum & causæ.

Prima Causa.

PEccatum meum contra me est semper: malum coram te feci, ô DEUS. Hinc potum cum fletu miscebam.

Secunda Causa & Objectum. Omnis consummationis vidi finem. Ubi considerabat omnia fluxa & prætereuntia seu in personis, seu in bonis hujus mundi &c. Utilis hæc consideratio, ne hæc pereuntia & defectibilia, quæ habent finem, cor auferant & bonum indeficiens.

Tertia Causa & Objectum: Annos æternos in mente habui; quæ quidem cogitatio somnum illi præripiebat; hinc dixit: Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi: Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. &c.

Quarta Causa: A judiciis tuis timui: Nam judicia tua abyssus multa. Justus es Domine, & rectum judicium tuum.

Quinta Causa & Objectum: Descendant in infernum viventes: Dolores inferni circumdederunt me. Non me demergat tempestas aquæ; neque urgeat

geat super me puteus os suum : In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Pœna Peccati.

I.

CUlpæ cuilibet sua respondet pœna. Est enim culpa velut arbor, quæ fructus suos etiam profert. At non potest mala arbor, bonos fructus facere,

2. Pœnæ sunt, hi peccati fructus: suntq; multiplices. In Inferno vel Purgatorio, pœna damni & sensûs. Etsi in purgatorio hæc utraque finem habeat, non ut in inferno. In terris pœna in conscientiæ tormento : pœna peccati per peccatum, & subtractionem gratiæ vel finalis, vel opportunæ aliàs, quâ se peccator reddidit indignum.

3. Job dicit : Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Nempe etsi parcat & condonet illud misericordia: semper tamen etiam remissum in mente gerit Scientia DEI; semperque pro illo momento, quo peccâsti, & odibilis fuisti, existit odium in DEO peccati tui. Nec enim est DEUS mutabilis, ut cesset in eo odium semel habitum pro illo instanti. O pœna! Ero amicus DEI per æternitatem, & semper poterit objici mihi, quòd aliquando sic DEUM offenderim dilectum!

4. Pœnæ aliæ voluntariæ & svaviores, vel à DEO inflictæ in hac vitâ, ut parcat æternùm, quibus me submittam; vel à me ultro assumptæ per contritionem

tionem, mortificationem, satisfactiones, labores, adversa tolerata in pœnam delicti, DEI flagella; Crux Religiosa, quæ est status jugis pœnitentiæ: Et cogitabo pro peccato meo.

Infernus.

I.

JUverit legere, quæ de hoc in Face Ascetica: Nimirum de modo destruendi Inferni; & de Inferno salvante; Descensus Averni, est ascensus Olympi.

2. Spectacula Inferni varia. Vide primò Epulonem illum sepultum in inferno: Vide superbos & eorum confusionem: Vide impuros, contra quos dicitur: Quantum fuit in deliciis quisque, tantum date illi tormentum: Vide varios status hominum, Regum, Ducum, &c. cujusvis ætatis & fortunæ; & pœnas eorum perhorresce. Specta contubernium infelix, convivia inferni, ubi mors in olla, & mors secunda: aliud ferculum fames & sitis æterna, pœna sensûs & damni. Tertium aggregatio omnium malorum; ut beatitudo est aggregatio omnium bonorum. Calix furoris Domini, uva fellis, &c. Instrumenta carnificinæ, & aliorum sensuum objecta exhorresce; potissimum DEI blasphemias, quæ S. IGNATIO supra omnes alias pœnas sensûs videbantur intolerabiles.

3. Denominationes inferni: Locus tormentorum apud Lucam; sic vocat Epulo. Locus flentium, Ignis devorans, Ardores sempiterni juxta illud; Quis habitare poterit cum igne devorante

&

& ardoribus ſempiternis: Ignis æternus, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. Vide ne tu ſis ejus Angelus.

4. Longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum inferni, ac pœnarum metienda.

5. Cauſæ, æternæ pœnæ pro brevi peccato, alibi indicatæ; & dicendum: Juſtus es Domine & rectum Judicium tuum: Dicit quisque ibi, ut ille Doctor Pariſienſis: Juſto DEI Judicio condemnatus ſum.

6. Poterit cogitari & nova Legatio ex inferno juxta votum Epulonis: Pater mitte aliquem ad Fratres meos, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Audi hujusmodi legatos, quid de illo loco referant; vel certè aliquos extaticè in infernum raptos, & reduces de eodem interroga, quorum unus dicebat: Gratias DEO, amplius non ardebo. Alius ad quævis cruciamenta dicebat: Graviora vidi.

7. Inimicitia cum inferno implacabilis ineunda: item diſſolvenda, quæ aliqui ineunt, pacta cum inferno & amicitiæ.

8. Via ſpatioſa, quæ ducit ad interitum, videnda, dignoſcenda, fugienda. Via ſpatioſa eſt vitæ ſæcularis; item via peccati; via libertatis & exlex.

9. Invitati ad cæleſtes Epulas & cœnam magnam ſe excuſant; multò magis Inferno, ab invitatis dicendum: Habe me excuſatum.

10. Expende tum dictum Salomonis: Dura ſicut infernus æmulatio ſeu charitas: quia ut ait Algerus, durè nec indulgenter habet ſuos; Tum dictum & votum Davidis: Deſcendant in infernum viventes; ne

ne mortui descendant: Tum dictum Chrysostomi: Nil dulcius gehennâ, seu ejus recogitatione ob dulces, & salubres in anima affectus. Tum dictum Jobi: Infernus domus mea est: tum illum in Apocalypsi equitem; Et infernus sequebatur eum. Quem sequitur hic comitatus.

CÆLVM.

I.

PRæter dicta in Face Ascetica, potest materia hic multiplex assumi. Vel hæc primò. Pulsare ad cœlum: Pulsate, & aperietur vobis; pulsat amor, pulsat & penetrat cœlos humilitas, pulsant sancta desideria accensa justorum. Secundò. Furtivè ingredi cœlum per clandestina & occulta virtutum insignium exercitia. Tertiò. Emere cœlum; Ite ad vendentes; Emite absque argento. Nummus, sancta opera; sed in his non sit falsa moneta, & virtus putatitia; Nummus, tolerantia & tribulatio: Nummum triticeum vocat Lorinus SS. Eucharistiam, quam qui manducat, vivet in æternum. Quartò. Per vim occupare cœlum, cogere illud ad deditionem; facitq; id ardens amor, & Violenti illi. Quintò. Cœlum in terras deducere. Vita in terra cœlestis & morum cœlestium imitatio id facit. Sextò. Habere intus cœlum: Regnum DEI intra vos est: Effici cœlum, in quo DEUS jugiter inhabitet. Septimò. Sanctiores animæ non intuitu præmii cœlestis operantur, sed gratis.

2. Vel iter cœleste cogitandum. Primò. Non est

eſt è terris mollis ad aſtra via: Secundò. Beati immaculati in via. Tertiò. Non aſcendit illuc (ait S. Auguſtinus) ſuperbia, nullum vitium: ſi aſcendere ad cœlum deſideramus, vitia noſtra deponere debemus. Quartò. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit: ibunt de virtute in virtutem. Quintò. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris; Pulchra ut Luna electa ut Sol, & innixa ſuper dilectum ſuum? Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum DEI. Sextò. Iter hoc multi ineunt, & pòſt deſerunt: vel deflectunt in vias difficiles. Septimò. Via arcta ad cœlum, ſpatioſa ad infernum. Juſtus it illuc per vias rectas: Viâ mandatorum, viâ conſiliorum, viâ ſanctorum, quà exempla ducunt. Item monſtrant Regibus aſtra viam.

3. Cœleſtis gloria variè conſideretur. Primò. Puta ſtructura cœli, ut in Apocalypſi ex auro & gemmis. Secundò. Prout cœlum deſcribit Scriptura: Nec oculus vidit, &c. quæ præparavit DEUS diligentibus ſe, vel prout ſe DEUS deſcribit: Ego oſtendam tibi omne bonum: Ego ero merces tua magna nimis: vel ut Chriſtus in Evangelio: Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum: Intra in gaudium Domini tui. Tertiò. Vide duplex præmium Beatorum: Præmium Eſſentiale, ſitum in viſione DEI: & accidentale, ſitum in laureolis, &c. Quartò. Dotes corporis glorioſas quinque expende, claritatem, impasſibilitatem, immortalitatem,

agilita-

agilitatem, ſubtilitatem. Laboret & toleret corpus, ut ſic glorificetur. Quintò. Vide pulchritudinem cœli ex propriis ejus ornamentis, ex incolis Beatis: quorum glorias diſtinctas, & gaudia, & occupationes æternas expende: gloriam animæ & corporis, objecta animæ dulcia & ſenſuum: æternitatem beatam & inamiſſibilitatem omnium bonorum, quorum eſt aggregatio, illa beatitudo. Aſpira ad hæc, & pro cœlo labora ita, ut ſis claviger cœli quàm plurimis etiam.

PVRGATORIVM.

I.

DE Purgatorio non repeto dicta multa in Pace Aſcetica. Vide

2. Duplex pœna ibi: damni & ſensûs ad tempus, utraque graviſſima: damni pœna illi gravior, qui diligit, & bonum agnoſcit melius, quod illi negatur. Pœna ſensûs omnes cruciatus terrenos & Martyria morbosque ſuperat.

3. Modos evadendi vel minuendi Purgatorii inquire, & arripe.

4. Juvandi in Purgatorio animas excogita, & adhibe.

Cœlum ſine Purgatorio.

I.

NOn tale ſomniant hæretici, qui Purgatorium negant, ſed hoc ipſo, quia fide verâ carent, & cælum illis negatur: habentque ſine Purgatorio Infernum.

fernum. Hic cum Catholicis agimus, iisque ſvademus cælum curare ſine Purgatorio prævio ad cœlum: tum quia glorioſum eſt DEO habere tales ſervos; glorioſum & nobis: tum quia cælum cum Purgatorio initum ſupponit peccatum & voluntatem illius, ac reatum culpæ & pœnæ indecorum: tum quia in tali deſiderio cæli includitur voluntas citò amandi DEUM perfectisſimè ac æternaliter: tum quia eſt actus amoris Divini velle quàm primùm videre DEUM ſuper omnia dilectum; videre, inquam, ſine remora.

2. Poteſt id haberi tum per *Sacramenta* & *Sacrificia* exactiùs obita; tum per uſum mortificationis & ſatisfactionis voluntariæ in terris; tum per uſum indulgentiarum; tum per actus Heroicos; tum per eximiam puritatem, quia illuc nil intrat coinquinatum; tum per orationem ad hoc inſtitutam.

3. Tamen cælum ſine Purgatorio non propter cælum cupies & ob cæli delicias tuumque bonum: id enim eſſet amor concupiſcentiæ; ſed ut id bonum & glorioſum DEO, Chriſtique meritis coronandis.

Regnum CHRISTI.

I.

ELectio Regis Chriſti: multi competitores, qui ajunt. Ego regnabo: Coronemus nos roſis: *Superbia* cupit eſſe Rex; at væ coronæ ſuperbiæ. Non item arbores elige, oleam vel vitem, vel ficulneam; ſed Chriſtum: Tu es ipſe Rex meus. Non ſis inter eos, qui dicunt: Nolumus hunc regnare ſuper

nos:

nos: Sed veni, coronaberis: ecce Rex noster. Rex sæculorum. Causæ eligendi Christi: tum quia non potest illud obtendere; Non sum medicus, & in domo mea non est panis; nolite me constituere Principem: tum quia Rex Regum est; quidni & subditorum? tum ut fugientem sequatur honor; fugit, dum Rex debuit à turbis constitui; tum quia meruit regnare, optimè de te & humano genere meritus: tū quia sub hoc Rege esse beatum est; nam servi ejus servient ei, & regnabunt cum eo; nemo servire recusaret, si serviendo Regi, Rex ipse efficeretur: Gloria magna sequi Dominum.

2. Regnum Christi est Ecclesia, est Societas; est sequela, & imitatio Christi; per hoc regnum venitur ad aliud.

3. Leges Regni hujus Primò. Non sit servus major Domino suo. Hinc Secundò. Cibo Regis vestitor Servc, Veste & insignibus regiis utitor: at hæc opprobria & Cruces fuerunt laboresque & animarum zelus. Tertiò. Regnum meum non est de hoc mundo. Sit ergò contrarietas mundo.

4. Regis hujus morem indue: Rex hic pacificus, Rex justitiæ, Dominus virtutum, Rex mansuetus & humilis; qui cùm pateretur, non comminabatur.

5. Ad regnum hoc spectat tolerare contemptus, injurias, inimicorum amor, amoris proprii & mundani expugnatio, paupertas voluntaria: quia hæc Rex elegit.

6. Tributum Regi & homagium: tributum benevolentiæ, tributum cordis: non ex tristitia aut necessitate; cui tributū. Vide ne rebelles huic Domino.

Vita

Vita CHRISTI.

I.

VIta Christi contraria mundo. Sic vive, & vives in æternum.

2. Vita Christi tota crux, tota ex obedientia, tota ex charitate, ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, tota in humilitate, in laboribus; plena zeli & magnificorum operum ad cultum Patris æterni, & salutem animarum.

3. Vivendum vitâ Christi. Beatum, sic vivere. Si in te anima Christi esset, eâque viveres, quàm felix esses! simile quid cogita, dum vivis vitâ Christi. Vivere qualecunq; Physicum est, ut ait August. excellẽtius quàm esse solem, ideòq; soli præponit muscã ob vitam; quid jam excellentiæ non inerit vitæ Christi expressæ? Hoc illud est Pauli, Vivo non ego; sed in me Christus. At homo mavult vivere vitam plantæ, vel animali tantùm; nec omninò etiam humanâ!

Christus summariè. Tu es Christ9.

I.

CHRISTI nomina? Emmanuel, seu nobiscum DEUS, nobiscum in carne, nobiscum in SS. Eucharistia; nobiscum in terris conversatus; nobiscum juxta illud. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi: nobiscum & juxta illud: Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Secundò vocabitur admirabilis DEus, fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi, magni consilii Angelus; nomen ejus

accelera,

accelera, festina, prædare: Quid quæris nomen meum, quod est mirabile super omne nomen? In nomine JEsu omne genu flectatur.

2. Christi verba. Verba vitæ Divinæ: Viam DEI in veritate doces. Nunquam sic locutus est homo; mirabantur in verbis gratiæ; verba ejus & doctrinæ in Evangelio.

3. Christi officia; Redemptor, Pastor, Medicus, Doctor & Magister, Mediator, Fundator Ecclesiæ, Caput hominum, & Angelorum. Sacerdos & Pontifex secundùm ordinem Melchisedech; Judex vivorum & mortuorum.

4. Opera Christi infiniti valoris, Theandrica, gloriosa: quæ placita sunt ei, facio semper: potens opere & sermone: cœpit facere & docere; pertransiit benefaciendo: Benè omnia fecit. Vide ejus virtutes & exempla, quæ dedit.

Christus Infans, Verbum Caro.

I.

Hic est, fuitq; desideratus cunctis gentibus, in quē desiderant Angeli prospicere. Prophetæ & Patres ut ad eum suspirârunt! Utinam dirumperes cœlos, & descenderes! Augustinus ut Christum in carne videre desiderabat! & alii dicebant; Et desideravimus eum Is. 53. Ubi tua desideria? transfer illa in hunc potiùs, qui totus desiderabilis.

2. Ait hic Infans DEus: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Vide, ut illas in te reperiat. Unio ejus cum natura humana indissolubilis indicat quantum eam diligat Verbum hoc, in ejus gratiam abbrevia-

tum:

tum: & tu cum DEO unionem & amicitiam diſſolvas. Eja inſcribe te inter amatores Verbi Incarnati tum ne dicatur, quòd amor non amatur, nec redamatur: tum quia corona juſtitiæ promittitur his, qui diligunt adventum ejus in carne. Ille, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, nec tu illũ dimitte.

3. Ejusdem exinanitio usque ad formam ſervi, usque ad ſpeciem vermis, & poſtea velut latronis, quid in te non efficiat? Detumeſcat ſuperbia, cùm DEus puer eſt; tantillus, qui aliàs tantus! turpe eſt, ſi DEus ſit humilis, homo ſuperbus.

4. Verè tu es DEus abſconditus: ſic illi dicitur. Quia latuit in utero, latuit in carne: poſtea in panis ſpecie. Abſconditus vultus ejus; quia abſcondita divinitas. Latent res eximiæ; & non latent infimæ tuæ. Latuit immenſitas in infanculo, omnipotentia in imbecillo. Manifeſta mundo hunc abſconditum: celebra nomen illius & evulga neſcientibus eum: nil noveris occultatum ab illo quod non ſciatur.

5. Parùm de illo dicitur: Non horruiſti Virginis uterum: non horruit & ſtabulum, & poſtea crucem. Nempe omnia ſuo natali & infantiæ elegit incommoda, locum deſpicabilem, vile oppidulum, tenebras noctis, brumæ rigorem, paſſus repulſam in diverſorio, in Innocentibus toties occiſus, quot illi cæſi; peregrè locum in Ægypto coactus quærere. Sectare commoditates, qui talia de DEO homine nôſti. Infantia ejus diſerta, aliud tibi loquitur dignatione & amore; aliter docet faciendo & patiendo.

6. Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil diffeſt

fert à servo. Hic est hæres universorum, & hic parvulo. Esto & tu similis, ut sis hæres DEI, cohæres Christi: loquere ut hic parvulus: sapias ut hic parvulus, cogitesq;. Subde te parvulo huic; nam ille est cui dicitur: Ducem dedi te gentibus: Et adorent eum omnes Angeli ejus, & Virgo, quem genuit, adoravit. Reges etiam procidentes adoraverunt eum. Absterge ejus lachymas vagientis, deprecare; nam facilè placatur parvulus.

Christus puer.

I.

DIcebatur aliàs: Væ regno, cujus Rex puer est. Nullum beatius regnum, quàm quod sub hoc puero Rege. Quibusdam Rex nascitur; aliis in regnis eligitur, hic Puer Rex naturalis omnium; adhuc tamen eligi cupit, & liberè regnare, electus ex millibus.

2. Puer autem crescebat. Tantus gigas & crescit; tu pumilio quoad omnia decrescis & deficis? Crescebat sapientiâ & gratiâ apud DEum & homines; majora argumenta Sapientiæ dando, & docendo: majora item benevolentiæ Paternæ argumenta percipiendo. Sic cresce, qui vis crescere, quid si dicatur: Effusus es sicut aqua; non crescas.

3. Reliqua pueritiæ Christi elogia: Proficiebat; Erat subditus illis. In his quæ Patris mei sunt oportet me esse. Inventus in templo, inter doctores, qui stupebant super prudentia, & responsis ejus. Felix vir, qui velut hic puer esset.

Conver-

Converſatio Chriſti.

I.

POſt hæc inter homines viſus, cum hominibus converſatus eſt. Normam converſationis ſanctæ ex illo accipe. Mitto privatam in Nazareth; ſed publicam vide. Inprimis non ſtatim illam adortus. Triginta annos latuit, & velut ſibi plùs priùsq; vixit; tres annos aliis erudiendis, dedit verbo & exemplo. Secundò. Nec illi converſationi totum dedit; ſed multum orationi, & ſolitudini; Erat pernoctans in Oratione DEI. Item inter docendum ſublevatis in cœlum oculis orabat, & Patrem æternum alloquebatur. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ. Item ductus eſt in montem excelſum ſeorſum: Videns JEſus turbas, abiit in montem &c. En ut non totum ſe in converſationem effudit? en ut converſatio intenta eſſe etiam ſibi & ſolitudini, conjuncta cum DEO, & ſtudio orationis addicta eſſe debet.

2. Converſatio illius ſancta, ſalubris, zelatrix. Pertranſiit benefaciendo, nullus ejus congreſſus ſine ſanctiori doctrina & fructu; in conviviis ſalvavit non paucos: nemo illum adiit, quin vel melior vel inſtructior non abiret: Auditores omnes dicendo beaverat, qui eum turmatim ſequebantur. Traxit Apoſtolos & 72. diſcipulos ad ſanctiora, & illis arcana cœli aperuit; Doctrina ejus etiam vita fuit: et ſi & verbo, Erat quotidie docens in templo. Quis finis converſationis ejus? Ego veni, ut vitam habeant, & ego in hoc natus ſum, ut teſtimonium perhibeam

beam veritati. Ignem veni mittere in terram, & ego non quæro gloriam meam.

3. Quæ inter conversationem non subiit? quos labores, quam penuriam rerum & pauperiem? quæ Pharisæorum convitia & injurias? Tulerunt lapides in eum: volebant eum præcipitare de monte. Ipsi observabant eum. Item id etiam in ejus conversatione singulare, quod se ad minimos demitteret majestas, ut & ad servum centurionis. Ego veniam & curabo eum; id quod tantopere exaggerat Gregorius. &c.

Transfiguratio Christi, & tua.

I.

HUc tendit recollectio octiduana ut transfigureris; nempe in tuos Patres, in Apostolos, in Angelos, in Christum.

2. Transfiguratio hæc Christi in monte excelso, seorsum à turbis, inter magnos Sanctos veteris & novi testamenti, quoad lucem & candorem exquisitum. Vide quid hæc insinuent.

3. Salubriùs tamen est tibi, si Christo similis esse contendas, prout in Golgotha fuit, quàm prout in Thabor.

4. Petrus ait: Bonum est nos hic esse, meliùs laborare & pati pro Christo, & animas lucrifacere Christo; ideò dicitur: Nesciebat, quid dicebat. Item non hìc, sed ubique benè esse potest volenti: Nam quisque suæ fortunæ faber, cuditque sibi vel auream fortunam vel ferream; & nemo læditur nisi à

si à seipso: ubiq́ue item benè justo, juxta illud Dicite justo, quoniam benè: etiam inter adversa illi benè; unde Apostolus ait: Omne gaudium esse in variis tribulationibus; at gaudium est de bono possesso: bonum ergò justo sunt & tribulationes, & immensum est ejus bonum, seu ubique.

Christi Vexillum: Militia & Victoriæ.

1.

VIde utraq́ue castra, numerosa, Christi & Luciferi; Sed dignosce ingenium utriusq́ue Ducis; & invitamenta ad Ducem Christum expende: finem & scopum utriusq́ue militiæ, modum belligerandi, nec non stipendium & laureas ac trophæa: coronas item civicas, castrenses, murales, obsidionales militum Christi: triumphos majores & minores: Heroes insignes, & pugiles: Vigilias & oppugnationem castrorum hostilium: Tesseram militarem. vel illam: Laboremus, militemus, vincamus mundum, & nosipsos, vel illam. A.M.D.G.

2. Vide hìc victorias multiplices, tum de mundo, & mundano amore; tum de amore proprio & sensuali, tum victoriam tentationum; tum adversitatum; tum respectuum humanorum: vide exempla tum aliorum, tum Pauli, qui tot se periculis perfunctum memorat, & victorem evasisse, tibiq́ue dicit: Milita bonam militiam, ut & ille bonum certamen certavit. Vide ejus stratagemata, Dolo vos cepi. &c.

Vita Apoſtolica.

I.

VIta hæc pauper; ſed dives in Chriſto, & virtutibus. Vita eadem beata, quia ſinguli hìc inſcripti in catalogum Beatorum Chriſti, illorum nempe, Beati pauperes, Beati mites, &c. Beatitudo mundi in aliis & vanis conſiſtit, tu inſcribe te potiùs inter Beatos è Chriſti ſententia.

2. Eadem vita laborum & tolerantiæ, & zeli univerſalis plena, loco non affixa, ſed ſolis inſtar ſe per orbem circumagens; In omnem terram exivit ſonus eorum.

3. Lux mundi, Apoſtoli civitas ſupra montem poſita, Columnæ juxta illud: Ego confirmavi columnas ejus. Quàm ſpecioſi pedes Evangelizantium bona & pacem. Denique ſingulos Apoſtolos vide, & ex iis vitam Apoſtolicam ediſces.

Zelus Gloriæ Divinæ & Animarum.

I.

ZElus multiplex. Zelus Angelicus. Qualis ille contra Luciferum. Quis ut DEUS? Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi: aſſiſtunt, & miniſtrant circa ſalutem hominum. Zelus Propheticus, ut Eliæ, ut Phinees. Zelus hìc vividus non timens adverſa, nec perſonas hominum, igneus: Deſcendat ignis, & devoret vos. Zelus Apoſtolicus,

Zelus

Zelus Christi, Zelus societatis, qui debet prædictos zelos complecti: Denique Religiosus zelus est, pro virtutibus statui huic debitis, & pro Religiosa disciplina, pro bono communi Religionis &c. Quis ex his zelus comedit te?

2. Zeli proprietates supra attactæ specialiter ut sit sincerus, universalis, exemplaris, conjunctus cum DEO, sui ipsius non immemor, & laborum patiens &c.

3. Zelus non secundùm scientiam malè audit. Nimirum imprudentia ubique vapulat: cæcus item dux malè ducatum præbet, nec instructus ipse scientiâ Sanctorum: aliter enim hi, aliter illi tractandi, ducendique & media ac remedia pro opportunitate assumenda, vel varianda; & noscendi spiritus an ex DEO sint; quâ dexteritate & notitiâ caret zelus non secundùm scientiam. Ergò hanc disce, & postula.

Religiosus.

I.

OBligationes Religiosi. Primò. Debet perfectiùs vivere, quàm sæcularis quisque bonus etiam. Secundò debet perfectiùs seipso vivere indies, aliàs deficit si non proficit. Tertiò. Debet vivere juxta spiritum suæ religionis ut nemo vivit alienâ animâ. Quartò. Quoad vota sit DEO fidelis, & tenerrimæ conscientiæ: legat dicta secundo die Tridui Renovationis & tertio, in hoc libello posita de votis, 5. Ad observantiam Regularum juvat cal-

car legere datum hic sub primo die Tridui Renovationis, ut illud 1. Pax multa diligentibus legem tuam. Secundò. Obediente DEO voci hominis. Tertiò. Qui solverit unum de mandatis minimis minimus vocabitur in regno cœlorum: alii legunt, nullus vocabitur in Regno cœlorum. Quartò. Jota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. 5. Cùm fueris Romæ &c. 6. A parvis magna dependent: Vulnerâsti me in uno crine: Qui spernit modica, decidet. 7. Eximia Sanctitas in Regulis digitus DEI hic est. &c.

2. Viderit adhuc ad quam classem Religiosorum & Sanctitatis pertineat; an crassæ, an teneræ; externæ tantùm, an etiam internæ: vel è contra; an solidæ, an variabiles, an heroicæ, an molles, an politicæ & superficiales atque putatitiæ; illudenti an veræ & non apparenti. De fructibus eorum cognoscetis eos.

3. Videat insuper quomodo se gerat circa ea, quæ Religioni suæ in particulari quadrant, & præscribuntur; circa ea quæ officium ejus concernunt; circa ea quæ lumen internum exigit. &c.

Humilitatis Encomium & Actus.

I.

SUperbia mater peccatorum: in omni enim peccato superbia est, quæ se non vult subdere legi Divinæ, vel humanæ; filia Luciferi. Etiam DEUS Pacis

Pacis contra illam bella movet dum superbis resistit: in cœlo bellum contra eam excitatum; dæmon item per superbiam dæmon est.

2. Primi humiles SS. Angeli, B. Virgo, & Christus.

3. Humilitas nostra tanti fuit, ut ad imitandum humilitatis exemplum DEUS homo sit factus & crucem subierit. Ut in Oratione Dominicæ Palmarum ait Ecclesia. Vide ne frustra tantæ impensæ fiant. Dolendum, si Rex aliquis sese humiliet ad dandum humilitatis exemplum vili fimetario; nec ejus superbiam frangat exemplo. Insuper doctorem se humilitatis insinuat Christus per illa. Discite à me quia sum humilis corde; at primus discendi amor; nobilitas est magistri, ut ait Ambrosius. Qui in hac Schola non est, est in Schola Luciferi, qui est doctor & Rex super omnes filios superbiæ. At væ discipulo huic, ut etiam væ doctori!

3. Gradus humilitatis disce ex Theologis. Nam primo ex parte objecti cui se illa subjicit, assignantur tres ex Glossa, in Matthæum; nempe subdere se majori, æquali, minori: Primus gradus sufficiẽs: Secundus abundãs; in tertio est omnis justitia. Secundò. Alii gradus sunt humilitatis juxta naturalem ordinem actionum, quibus ad perfectissimum humilitatis gradum ascenditur; & sic ex Anselmo sunt septem gradus; nempe cognitio sui quoad peccata & defectus; Dolor de peccatis & imperfectionibus; manifestatio illorum: velle credi ab aliis, nos deliquisse: patienter ferre id de nobis dici; vel pro culpa sua malè se tractari: Imò desiderare

id, & de eo gaudere. Et hic ultimus se perfectissimè humiliat. Tertiò, Alii gradus humilitatis juxta ordinem, quo humilitas ab interioribus ad exteriora progrediens, primò moderatur animum in majoribus; deinde in minoribus, ac minimis; & sic 12. gradus humilitatis ponit S. Benedictus: nempe Primus est DEI timor, & memoria præceptorum. Secundus. Delectari implendo voluntatem Divinam, non suam. Tertius. DEI amore subdere se per obedientiam majori. Quartus. In duris perseverare in obediendo cum patientia. Quintus. Pravas cogitationes & occulta delicta sua Superiori humiliter aperire. Sextò, Ad omnia se inutilem & indignum judicare. Septimus. Omnibus se inferiorem & viliorem dicere. Octavus. Accommodare se communi Regulæ, singularitate vitatâ. Nonus. Tacere usque ad interrogationem. Decimus. Non esse facilem ad risum. Undecimus. Pauca verba & rationabilia loqui. Duodecimus. Corde & corpore ubique humilitatem præferre; Unde S. Bernardus oppositos 12. gradus Superbiæ ponit, suntque hi: Curiositas, levitas animi, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas peccandi, consvetudo peccandi. Plura de his Ascetici.

CHRI-

CHRISTUS PASSUS.

Amici & Inimici Crucis Christi.

I.

EXpedit esse amicum crucis: Quia crux salvatrix est: quia regia via ad cœlum: quia clavis cœli: quia consecrata Christo.

2. Inimici crucis Christi sunt, tum dæmones, pagani, hæretici: tum inter fideles illi quos Paulus ad Philip. describit: Quorum finis interitus: quorum DEUS venter: quorum gloria in confusione ipsorum: qui terrena sapiunt. Hos enim ibi vocat inimicos crucis Christi Apostolus: tum illi, qui Amici suarum sunt cupiditatum, nec adversa nec adversos tolerare volunt, nec carnem suam crucifigere cum vitiis & concupiscentiis suis: Ab his ergo te secerne: qui inimicus est crucis Christi, videtur inimicus esse & ipsius Christi.

3. Amici crucis pauci, quibus vel cum S. Andrea sit crux pretiosa & desiderata; vel qui cum S. Paulo gaudeant in tribulationibus & contumeliis; vel cum S. Francisco Xaverio cruci se dedicent in æternum: Inter hos paucos esse opta, & labora.

Idea multiplex in Christo passo.

I.

IDea orandi. Ab Oratione in horto passionem

 Chri-

Christus inchoavit: in Oratione ad Patrem, cui Spiritum commendavit, finiit.

2. Idea Paupertatis quoad despoliationem vestium; Quoad derelictionem amicorum: quoad alienum sepulchrum: Idea obedientiæ, ex qua mortem tam acerbam & ignominiosam obiit.

3. Idea zeli ac justitiæ cui superabundanter satisfecit, ex zelo restituendæ Patri gloriæ, & salutis redimendarum animarum.

4. Idea operum misericordiæ & charitatis illius: Majorem charitatem nemo habet &c.

5. Idea Actuum heroicorum, ut patet: Item omnigenæ mortificationis, patientiæ, humilitatis & aliarum virtutum.

6. Idea sacrificandi se & sibi. Ibi enim Sacrificium cruentum obtulit de seipso & se hostiam viventem in odorem svavitatis. Fac secundùm exemplar.

Deliciæ in Christo passo.

I.

CHRISTUS passꝰ in cœlo est pars gaudii specialis, teste Ruperto, & Apocalypsi, ubi cytharædi illi svaviter canunt: Dignus est Agnus, qui occisus est. &c.

2. S. Bernardus & Veritas grata ait: Tantò mihi charior gratiorque, quantò pro me vilior. Deinde cui nō sit delectabile cogitare se tanti à Deo æstimari, ut pro se tanta Majestas tam indigna subiret? Ipse DEUS etiam apud Tertullianum dicitur modulari subli-

ſublimitatem ceu ſvavem jubilum; Certè illam: Ego ſi exaltatus fuero.

3. Sed hæ deliciæ, quas in ſingulis JESU cruciatibus quos amor tui illi dulces reddidit, delibas & ſvavias; ſint usque ad imitationem & guſtum in injuriis, & crucibus, quæ dulcor & amor jubet par reddere, & pati cum amato. Amor non eſt ſine vulnere: cor vulnerat & corpus, aitque: Pone me ut ſignaculum ſuper cor & brachium tuum.

Oppoſitio triplex in Paſſione.

Prima Oppoſitio.

RETribuebant mihi mala pro bonis. In tota id Paſſione relucet: DEUS nobis paradiſum voluptatis condidit; nos hortum Gethſemani tam acerbum eidem reddidimus: ille nobis torques aureos, & monilia; nos illi funes & catenas: ille coronas, ſceptra, purpuras; nos ſpinam, arundinem: ille alimenta varia; nos fel & acetum. Vide improperia die Paraſceves in Miſſali.

Secunda oppoſitio Regis gloriæ & Judicis, ignominia Paſſionis; ejus attributis, ejus titulis oppoſita omnia livor & crudelitas ingeſſit.

Tertia Oppoſitio. Noſtra vita & vitia refutantur oppoſitis virtutibus in Paſſione Chriſti relucentibus; ut noſtra ſuperbia ejus tantâ humiliatione ceu noviſſimi virorum; inobedientia & impatientia &c. ſimiliter oppoſitis &c. Poſitus in ſignum cui contradicetur & quod contradicet.

Solatium Christo in Passione mœrenti.

I.

SIs & tu Angelus consolans eum, ne conqueratur: Consolantem me quæsivi, & non inveni, sed non sis onerosus consolator, qualis est, qui vulnus renovat, vel addit.

2. Is melior consolator, qualis est, qui compatitur & simul patitur in gratiam passi JESU: Item qui resipiscit, seu removet causas passionis; Item qui compensat tantum amorem & dolorem: Item qui curat, ne in tot redemptis pretium Sangvinis intereat: qui adimplet quæ desunt in se passioni CHRISTI.

3. Nullum solatium ab ingrato, nullum ab eo qui in se & aliis pretium Sangvinis sinit perire.

Vulnera Salvatoris.

I.

VUlnerum atrocitas & numerus, qui augetur. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

2. Vulnerum causa & author, tum amor, tum peccatum. Authorem ne quære; tu es. Indignaris Caiphæ, Herodi & Pilato? at tibi ipsi potius indignare.

3. Vulnerum efficacia, tum redemptio mundi (unus homo nobis moriendo restituit rem) tum omnes gratiæ, solatium tribulationum, remedium tentatio-

tentationum, fortitudo Martyrum, Spes peccatorum.

4. Vulnerum gloria: propter quod exaltavit illum DEUS &c. Vulnerare, & glorificaberis.

5. Vulnerum exigentia: Exigunt à te pati aut mori; Pati non mori: Exigunt; Sustine, abstine, redama, Exigunt, ne adtrahe alios ad amorem vulnerati: Exigunt, ne addas plura, ut illa imminuas in aliis etiam vulneratoribus JESU: Perfer pro te dura, si pro te illa DEUS tot pertulit.

6. Vulnerum tituli svaves: tot ora ad te, & pro te: Incentiva amoris: urbes refugii: aurifodinæ gratiarum: thermæ salubres animæ; piscinæ probaticæ sanatricis quinque porticus: armamentarium & propugnacula: anchora spei: Magistra vitæ: medicina præservans: confortativa: palatia animæ: Invenies me in vulnere Crucifixi.

Æstimatio Crucis.

I.

HAnc ex Christo æstimare disce. Tanta ille præmisit præparamenta Crucis, ut Incarnationem, vitã absconditam, vitã laboriosam institutionem Ecclesiæ, & SS. Eucharistiæ, lotionem pedum, vincula, flagella, spinas, judicia; ut tandem crucifigeretur. Chariora illi brachia crucis quàm brachia Matris; tanti est crux JESU. Deinde non quilibet hâc dignus; quia nescit illam æstimare. Digniores animæ illam æstimantes attrahunt. Hinc Apostoli gaudebant, quòd digni habiti pro Nomine JEsu

ontumeliam pati. Hinc S. Agatha lætissimè ibat ad carcerem ceu ad epulas invitata. Præterea aliquibus cruces non offeruntur, quia delicati nec apti ferendo, aut ut inferantur Heroibus minimè idonei; & quia horrent crucem ceu infelicem arborem; vel quia se non disponunt ad gratiam tolerandi & assimilandi Christo.

2. Esto deinceps Eques crucis Christi, ut Henrico Susoni vox cœlitus allata sua sit; quasi antea tantùm in peditatu fuerit, cùm pauca & minora passus; non ut postea tum esse Eques crucis elegit. Equitatui meo assimilavi te: at quadrigæ ejus salvatio; Nempe quatuor vulnera viventi in cruce inflicta: his quadrigis eunt in Capitolium, Heroës & Equites hi crucis quibus te inscribe, & crucem fer ac æstima.

3. Esto ergo ô Eques crucis ut Christus in cruce, ut oblivioni datus, ut mortuus à corde, ut novissimus virorum, ut vir dolorum, ut meta irrisionum, contemptuum, lingvarum, dolorum: Deinde amara tibi dulcescant, dulcia amarescant; habe palatum Christi qui sitiit dolores propter te, cui dulce hoc lignum fuit, & acetum: Corrige palati tui vitium ex eo quòd sit cibus regius, cibus Christi pati; & quòd, ut ait Cajetanus, Mala pœnæ assumpta à Verbo quasi sint deificata.

Senten-

Sententiæ quædam de Passione CHRISTI.

I.

SI hæc in viridi, quid fiet in arido!

2. Propter scelus populi mei percussi eum.

3. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

4. Copiosa apud eum redemptio.

5. Plagatus sum ab his qui diligebant me.

6. Quæ utilitas in sangvine meo, dum tot ultro pereunt!

7. Amor meus crucifixus est.

8. Cùm posset guttâ redemit undâ.

9. Non hunc sed Barabbam.

Aliqua summatim ex Christi Passione.

I.

VEstimenta Christi varia in Passione sua: alba vestis, purpura, nuditas, quam repende.

2. Cibus & potus.

3. Lectus & situs varii ab hortensi genuflexione.

4. Verba illius, etsi plus sileat: Sed Vulnera etiam loquuntur, & vox sangvinis.

5. Appellationes probrosæ Christi ut malefactor, seductor, reus mortis, &c.

6. Quid gravissimum Christo in Passione? Alii dicunt crucem; sitim alii, alii nuditatem: alii flagella

flagella & coronam; sed gravissima tua ingratitudo.

Compensatio Christo passo.

I.

RESTITUTIO fiat illi honoris, amoris, & cultûs tunc adempti quoad omnia puncta Passionis; ubi conculcatur exalta eum; ubi illusoriè tractatur & adoratur; honora & in spiritu ac virtute adora. Ubi sanctitas ejus blasphematur, ceu SanctumSanctorum cole &c. Deniq́ue affectu cœlitum dic. Dignus est Agnus qui occisus est accipere Divinitatem & gloriam & honorem &c. Imò illum exalta cumPatre æterno & gaude in compensationem exaltari: Propter quod DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen. &c.

2. Recompensa illi aliqua in particulari v. g. judicia illa iniqua tunc tolerata, per fugam judicii temerarii & traditionem plenam Christo judiciariæ potestatis: item nuditatem illius per conscientiæ quasi denudationem ubi est necesse: acetum & fel per temperantiam, sudorem per labores in animarum auxilio susceptos &c. Flagella & crucis per jugem mortificationem: falsa testimonia & subsannationes per tolerantiam similium & sic de cæteris. Et hic modus similis; ut de Sancto Stephano Ecclesia: Mortem enim quam pro nobis pertulit Christus, hanc ille primus reddidit Salvatori.

3. Impensæ sangvinis & mortis ac cruciatuum restituantur gratitudine; amore, imitatione, procuratâ plurimorum salute ac promotâ. &c.

4. Com-

4. Compensatio item fiat nomine infidelium, qui Christum nesciunt, nec accedunt, nec passionem ejus nôrunt; imò crucem proculcant; nimirum quòd illi exhibere deberent tanto sui Amatori Christo exhibe & illis lucem efflagita, ut cognoscant, & diligant, salventur.

Nova CHRISTI Passio.

I.

NOn semel Christus passus; usque nunc ab ingratis hominibus, crucifigitur rursum; non de uno dicitur. Rursus parâsti crucem Salvatori tuo. Qui illum rursus colaphizent, qui conculcent, qui conspuant per peccata, facilè est cogitare: Certè; qui vili creaturæ illum posthabent dicunt: Non hunc sed Barabbam. Augetur dolor & acerbitas hujus novæ passionis, tum ex multitudine crucifigentium nempe totius orbis; omnis ætatis, & sexûs, & statûs, & temporis; Tum quòd post agnitionem Divinitatis; cùm tamen de illis crucifixoribus dicatur. Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quanta in cœlis, si ibi locus illi esset, est causa tristitiæ! Angeli Pacis quàm amarè flerent super nova vulnera, quomodo iterùm doloris gladius transverberaret cor Virginis Matris! & in amantibus Christum qualis debet compassio oriri! Plorabunt eum, sicut solet doleri in morte Primogeniti. Ipse Christus ut conqueritur, quod super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

2. Quan-

2. Quare frequenter dolorem in animo excita ſuper hanc Chriſti tui lanienam; ipſe noli eſſe inter novos hos crucifixores; quàm plurimos è peccandi conſvetudine extrahe, ne cor Divinum ſic conſaucient; ora pro converſione peccatorum &c.

Dolores B. VIRGINIS.

I.

NOn ſub ſola paſſione doluit; ſed ab Annuntiatione & prædictione horum Angelica.

2. Doloris gladium conſidera, quo confixa, Tuam ipſius animam pertranſivit! totam animam, & medullas cordis occupavit hic dolor, tantus juxta Bernardinum Senenſem, ut ſub illo creaturæ deficerent.

3. Cauſæ tanti doloris amor ſuper omnes, notitia dignitatis & majeſtatis læſæ maxima, vivaciſſima dolorum apprehenſio, maternitas & filiatio ſupplens dolorem Patris, quo in carne caruit &c. Magna eſt velut mare contritio tua; non eſt ſicut dolor meus.

4. Non tamen ſic doluit ut non eundem ſimul obtulerit magis, quàm Abraham Iſaacum hæc corredemptrix. Vide hìc ejus inſignes virtutes ſub cruce: non pudet Matrem talis ſuſpendiarii fuiſſe, & pellit timorem charitas. Alii amici à longè; ipſa juxta crucem. Conſolare illam per te, per alios ſalvatos, per compaſſionem; Sit Mater tua, tu filius ejus.

Reſur-

Resurrectio Christi & nostra mystica.

I.

ECclesia canit : secumque nos à mortuis jubet sepultos surgere. Varia sepulchra, ex quibus surgendum cum Christo : Absint sepulchra conscientiæ, sepulchra dealbata, sepulchrum eorum guttur. Ambros: ait. Quis ille tumulus est nisi mali mores. Tumulus tuus perfidia est. &c.

2. Indicia mysticæ resurrectionis : Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite; non quæ super terram ; quæ sursum sunt, quærite : Surrexit non est hìc : Revolutus lapis à sepulchro: Resurgens jam non moritur.

3. Resurrectio ad vitam Sanctissimam esto : Quia & Christus resurrexit propter justificationem nostram, ad vitam immortalem.

Amor DEI.

I.

MOtiva amoris Divini, tum ex Præcepto : Diliges ex toto corde &c. Tum ex objecto amoris in Deo veriùs elucescente nempe objectum est amoris, Bonum, Pulchrum ; quod in DEO infinitum, æternum, impermistum malo : Tum ex beneficiis : tum ex necessitate amoris ad salutem, ex Paulo: Sine charitate nihil sum ; nihil mihi prodest &c. Qui non diligit, manet in morte : Tum

ob amo-

ob amoris excellentiam: Major horum charitas: qui diligit, legem implevit: diligetur à Patre, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus: Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. Tum quia si rapit gutta creata, vel radius, vel obolus; magis debet mare immensum Boni, sol increatus, gaza infinita.

2. Amoris incentiva: S. Eucharistia, beneficia, cogitata, meditatio, lectio, sacra exempla, SS. Passio Christi.

3. Idea amoris in Seraphinis, in Martyribus, & Apostolis; ut S. Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? nulla creatura: item in aliis, ut B. Stanislao, &c.

4. Indicia amoris. Primò. Si diligitis me sermonem meum servate. Secundò. Qui diligitis Dominum, odite malum. Tertiò. Qui diligit DEUM diligit & proximum propter DEUM. Quartò, Idem nolle, & velle, firmissima amicitia est. Quintò. Minùs te Domine amat, qui tecum aliquid non propter te amat. Sextò. Ille in amore DEI est major, qui ad ejus amorem plurimos trahat. Septimò. Amor nomen difficultatis erubescit: fortis ut mors dilectio. 8. Ex amore operari. 9. Alia indicia sunt ex S. Paulo: Charitas patiens est, benigna est: non æmulatur: non agit perperam: non inflatur: non est ambitiosa: non quærit, quæ sua sunt: non irritatur: non cogitat malum: non gaudet super iniquitate: congaudet veritati: Omnia suffert: omnia credit; omnia sperat: omnia sustinet: nunquam excidit.

Ignem sui amoris accendat in nobis DEUS ignis consumens; & flammam æternæ charitatis. Amen.

TRIPLEX MOTIVUM RITE VIVENDI.

Præsentia, Dignitas, Voluntas DEI.

ALiis rectè vivendi calcar est cœlum vel æternorum memoria: aliis exempla Sanctorum. Tibi triplex calcar sufficiet, quo efficaciter à malo retrahi, ad optima impelli poteris.

Primum calcar sit Præsentia DEI, in cujus conspectu vivis & agis omnia. DEUS est totus oculus; cave ne illo vidente audeas tanto Spectatore indignum. Exhilara illum pulcherrimis spectaculis. Si sanctè agis, sufficit ad præmium, id DEUM videre. Oculus Domini saginet equum & opera.

Secundum calcar ritè omnia agendi, dura omnia tolerandi, est Dignitas DEI. Quo enim obsequio non est dignus DEUS? seu excellentiam ejus cogites, seu alia attributa, seu ejus de te merita; dignus est omni laude, omni cultu & obsequio, omni amore &c. Si tepidè agis, Dignitas ejus exstimulet te ad fervorem: Si durum est pati, Dignitas emolliat hæc dura. Sic & in cœlo canitur: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere honorem &c.

Tertium

Tertium calcar est Voluntas DEI. Motivum & modus rectè agendi optimus est ille: Volo quia vult hoc DEUS, & prout vult. Dicebat filio suo Isaac: Fac mihi pulmentum, sicut velle me nôsti. Itē. Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror, & Mater est, ait Dominus.

SANCTA DAVIDIS COGITATIO.

Domine, quis similis tibi?

SIc David interrogat DEUM; sic & tu interroga, ut quem super omnia esse cognosces, super omnia æstimes colasvè. Cui nil simile, nihil par esse posse fateberis, longè impari studio & præ creatis omnibus eundem prosequaris. Quare

Cogita primò & congere in unum, quidquid in creatis pulchrum, quidquid excellens, quidquid optimum, quidquid dulce, quidquid delectabile, quidquid magnificum & illustre, quidquid summè honorabile, appetibile, æstimabile, appretiabile, amabile, quidquid sanctum, & in omni genere summum esse vel cogitari potest; & audi dicentem Augustinum: Qui fecit hæc bona, melior est: qui fecit hæc pulchra & sancta; pulchrior sanctiorq; : DEO cōparata hæc omnia nihil sunt, adeòq; dicendum: Domine quis similis tibi? Et inferendum: Si ergò tanti facio vitrum; quanti faciam margaritū? si hæc tantilla mihi cor rapiunt, quid tantus DEUS? Pudeat illius momenti, quo aliquid prætulimus DEO; cui

(ut

(ut ait Bernardus) comparata omnis alia jucunditas, mæror est; omnis alia ſvavitas, dolor: omne creatum dulce, amarum: omne aliud decorum ac delectabile, fœdum & execrabile reſpectu DEI.

Cogita item poſſibilia quæcunque mens etiam divina concipit: quæcunq; voluntas creata cuperet, mundos aureos gemmeosque, theſauros & mundi ſplendores, delicias filiorum hominum, & quidquid pretioſum, ac deſiderabile in omnipotentia DEI latet, & ſcientiâ DEI comprehenditur; & iterum exclamare cogeris: Domine quis ſimilis tibi? Æſtima ſuper omnia, qui eſt ſuper hæc omnia. Deſipis, ſi poſtponis ulli id, quod præcellit omni. Delectare potiùs in eo ſuper omnia.

Tertiò. Cogita DEI adinventiones, diſpoſitionem & ſeriem rerum creatarum, gubernationē mundi, diverſitatem creaturarum ab eo productarum, Judiciorum DEI abyſſum: Item Eccleſiam & Sacramenta, ordines Eccleſiæ varios, diverſitatem vocationum, Redemptionem mundi, miracula novi & veteris teſtamenti, diverſitatem Sanctorum &c. Et tantò magis in his omnibus ſtupens, quàm ſuper Salomone Saba Regina iterum prorumpes in illa: Domine quis ſimilis tibi?

Quartò. Similes DEO vide, non illos qui cum Lucifero ſtultè: Similis ero Altiſſimo. Similitudo DEI in Angelis elucet; unique dicitur. Tu ſignaculum ſimilitudinis: Homo item creatus dicitur ad imaginem & ſimilitudinem DEI: Deniq; in cœlo juxta divum Joannem ſimiles ei erimus. Sed tamen ut omnis ſi-

militudo

militudo claudicat; sic Angelica & Beatorum cum DEO. Ubiq; & semper dici debet: Domine quis similis tibi? semper dicendum. Quis ut DEUS? Quis sicut Dominus DEUS noster?
At si nemo est sicut DEUS; nemo sic colatur, ametur, laudetur, timeaturque sicut DEUS; ne sæpiùs conqueratur Apostolus de pluribus, qui cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt.

Omitto reliquos modos variandi materias viæ triplicis Purgativæ, Illuminativæ, Unitivæ: illud obiter innuo, juvare ad delectabilem varietatem pulchras & raras inventiones quibus prædictæ materiæ exornentur: ut de novissimis: Pulchra quædam de Morte: lætiora quædam de Judicio; Monita è cœlo de cœlo: Legatio è Purgatorio: Nova quædam ex inferno vel è cœlo. Exhortatio à damnatis. Sic de Passione Christi: Benoni seu filius doloris est nostrum quilibet: Deicidium renovatum: Degener à Crucifixo: Auctores Christo vulnerum super vulnus. &c.

§. Ultimus.

Additamenta quædam.

PRæter illa, quæ in impressis Auctoribus habentur, sub hoc voluntariæ solitudinis breve spatium, observanda hæc erunt.

I.

Reflexiones pomeridianæ.

FIent singulæ hoc modo. In singulis Reflexionum materiis vide quomodo te gesseris: quomodo

alii

alii ſanctiores ſe gerant: quomodo deinceps te geres, modos & adinventiones ſpeciales tibi præſcribe juxta exempla, regulas, lumen internum cum poſtulatione gratiæ ad implenda quæ videris.

Prima Reflexio. De Divinis & ſtudio Divinorum. Sub his comprehenditur Oratio vocalis & interna, officium Divinum, Sacrificium Miſſæ, Sacramentorum uſus & adminiſtratio, Devotio arbitraria erga B. Virg. & SS.

Secunda. De uſu & abuſu lingvæ & ſenſuum & trium potentiarum animæ.

Tertia. De votis Religioſis, Regulis, Conſvetudinibus, Officio proprio.

Quarta. Examen aliorum vitiorum & virtutum ſolidarum; ubi etiam examen zeli, examen intentionis, examen converſationis: Examē Examinū.

Quinta. De mortificatione externa & interna: dominio vel rebellione paſſionum: victoria ſui, reſpectuum, tentationum, actibus heroicis.

Sexta. De uſu temporis, cura minimorum vel neglectu, de modo ſublimandi merita.

Septima. Examen perfectionum præelectarum; ut de eligendo & agendo quod eſt perfectius: de horaria præparatione ad mortem: de pactis cum Deo & multiplici in eum & animas liberalitate, de impeccabilitate morali, de continuo ſtatu gratiæ: & cœli cura ſine purgatorio obtinendi, de purgatorio deſiderii, & amoris & Martyrio incruento, de ſolitudine & libertate interna: de deſponſatione voluntatis DEO. &c.

Octava.

Octava. Examen super occasiones virtutum, super gratias & dictamina cœlestia, super ordinem temporum & actionum: Deniq; super prædicta omnia examen repetitum.

II.

Quædam per diem ruminanda sub tempus sacræ solitudinis.

Væ genti peccatrici!
Væ homini, per quem scandalum venit!
Quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis?
Cor sit in cœlo, ut non putrescat in terra.
Breve & æternum!
Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Quæ in me reformanda? Quid mihi nunc deest ad salutem? Quæ occasiones periculosiores. &c.

Item Sententiæ aliquæ Patrum.
Item Regulæ aliquæ; imò omnes accuratiùs expendendæ. &c.

LAUS DEO,
Et B. V. Immaculatè Conceptæ.

INDEX

INDEX
Rerum hoc libello comprehensarum.

DIES PRIMUS
Tridui Renovationis.

§. 1. Præambula Renovationi Spiritûs congrua.

§. II. Problema: quid expediat in spiritu, Novitas vitæ, an Vetustas?

§. III. Quædam Renovationis Spiritûs adjuncta.

§. IV. Effecta sacræ Renovationis disertiùs exponuntur.

§. V. Munera seu Officia Renovationis Spiritûs.

§. VI. Reliqua Monita Renovantis Spiritum.

DIES SECUNDUS
Tridui Renovationis.

§. I. Encomia Votorum Religiosorum, in genere: Seu Calcar ex Encomiis petitum ad Renovationem Votorum ferventiorem.

§. II. Quædam ad vota Religiosa generatim spectantia adducuntur. 189

DIES TERTIUS.

§. I. De Votis Religiosis in particulari.

2. Cal-

1. Affe-

Peccata.

FINIS.



P
M
J
Æ
In
C
Pl
R
V
C
C
T
C


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010664

